

Ms. 63.

IOANNIS TOBIAE CARRACH, ICTI
POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS
PROFESSORIS IVRIS PRIMARII
FACVLTATIS IVRIDICAE PRAESIDIS
ORDINARII ETC.

PROGRAMMATA IVRIDICA

- I. De Quadriennali vita restitutionis
in integrum Reipublicae et Eccle-
siae *ad Leg. I. C. de Offic. ei. qui
vic. alic. jud. vel Praesid. obtin.
junct. Cap. I. et II. de Restitut. in
integr. in 6to.*
- II. De Sorite Fallaci et de Sensu *Le-
gis CLXXVII. D. de Verb. signif.
juncta Lege LXV. D. de Regul. Iur.*
- III. De Brocardico: Illiquidi cum
Liquido nulla est compensatio
*Ad L. ult. §. I. C. de Compensat.
vulgo: Geld vor, Recht nach.*
- IV. De Iussu Patris in conferendis
studiorum sumtibus rato vel ir-
rito *Ad Leg. L. D. Familiae her-
ciscundae.*

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOAN. FRIDERICI ET FRID. AVG. GRVNERTORVM.
RECVSA ANNO c182cclxvii.

JOHANNES FORBES FARRAR
MONTAGS IM NOVEMBER 1825
STÄNDLICHES RECHTSGERICHT
HALLÉ
CIVIL-UND KAMMER-GERICHT
HALLÉ

PROGRAMMATA
JURIDICA

KOEN. FRIED.
UNIVERS.
ZU HALLE



HALLÉ
TYPISCH DRUCKERIE FRIEDRICH GRAFSTADT
HALLÉ



I.
PROGRAMMA IVRIDICVM
DE
QVADRIENNALI VITA
RESTITVTIONIS
IN
INTEGRVM REIPVBLICAE
ET ECCLESIAE

*Ad L. 1. C. De Offic. ei. qui vic. alic. iud. vel Praef. obtin.
iunct. Cap. 1. et 2. De Restitut. in Integr. in 6to,*

I.

PROGRAMMA JURIDICVM

GVADRIENNALL VITA


RESTITVTIONIS

INTEGRVM REIVELLICAE

ET REVERSAE


AL. 1773. 1774. 1775. 1776. 1777. 1778. 1779. 1780. 1781. 1782. 1783. 1784. 1785. 1786. 1787. 1788. 1789. 1790. 1791. 1792. 1793. 1794. 1795. 1796. 1797. 1798. 1799. 1800.





Q. D. B. V.

§. I.



Republicam et ecclesiam minorum restitutione in integrum frui debere, varii Iuris Civilis et Canonici textus perspicue fati sciunt; adeo, ut vix quisquam hac de re dubitauerit, nisi qui nodum in scirpo cum TREVTLERO *Disput. volum. I. disp. XI. thes. VIII. lit. H.* quaerere velit, qui tamen a BACHOVIO *in not. et animaduers. ad TREVTLERI disp. ad cit. thes.* iam sufficienter confutatus est. Sed qui de qualita-

tibus huius restitutionis potiori iure disceptandum putant, controuersiam quoque mouent de tempore, intra quod dies huius remedii exeat. Vulgo enim Icti existimant, quod ista reipublicæ & ecclesie restitutionio quatuor annorum cancellis inclusa sit, CARPZ. *lib. II. resp. 96.* HARTM. PISTOR. *lib. I. quaest. 37.*

A 3

11. 93.

n. 93. BRVNNEMANN. in *Cod. ad L. 4. C. Ex quibus caus. maior. XXV. ann.* alii vero, eam perpetuo competere, contendunt SFORT. ODD. *Tract. de Restit. in integr. quest. 13. art. 4. num. 71.* STRYK. *Vsu Mod. Pand. Tit. de Minor. XXV. ann. §. 17.* Ego in hac lite vulgari opinioni subscribere cogor: non tamen quia vulgaris, sed quia rationibus suffulta fortioribus. Eamque breui hoc lectionum æstiuarum præfamine ab obiectionibus vindicare conabor; ita tamen, vt tantum durationem ordinariam temporis, intra quod remedium instituendum, inuestigem: instituti ratio enim non admittit, vt terminum a quo, et tempus finiendæ tractationis huius beneficii, aut exceptiones a regula explorem, quod argumentum etiam alii iam plenissime profecuti sunt. Eaque sunt, quae schediasmatis huius inscriptio prae se fert. Quod vero illa tropum contineat, condonabis mihi cum textu loquenti, et antiquis familiari sermone videnti: sic enim duratio actionis *vita et viuere* dicitur *L. 1. C. de Annal. except. L. 3. C. de Praescript. 30. et 40. annor. L. 3. C. de Tempor. appellat.* maxime vero in *pr. Instit. de Perpet. et temporal. act.* idem verbum de remediorum praetiorum duratione occurrit; adde *CYTAC. Obseru. lib. 18. cap. 37.*

§. II.

Disquirenti mihi de reipublicae et ecclesiae restitutionis quadriennali vita non opus est, vt scruter, quid sit respublica et ecclesia: cum quaestio tractanda inde non pendeat, nec in genere de hac restitutione agendum sit. Supponam itaque, rempublicam hic quaecunque ciuitatem, subdita licet et non *μνημόποιος* sit, denotare, *L. 17. D. de V. S. L. 26. §. 9. D. Ex quib. caus. maior. XXV. ann. L. 9. D. de Vsu cap.* BYNKERSH. *Obs. lib. 3. obseru. 3.* ecclesiam vero esse vniuersitatem fidelium, quae in iuribus et bonis suis laesa est, vel inter Pontificios, qui clerum aut ecclesiam faciunt, aut ei dominium bonorum ecclesiae tribuunt, ANTONIVS MARSILIVS *COLVMA de Ecclesiae redditibus*, ecclesiam denotare clerum in bonis et iuribus ecclesiasticis laesum PERILLVSTR. DN. BOEHMERVS *Iur. Eccles. lib. 1. tit. XLI.*

tit. *XLI. n. 2. GALES. de Restit. in integr. ad cap. I. de Restit. in integr. in 6to num. 57.* Nec tamen ab hac restitutione alia pia corpora excludo: sed cum de ecclesiae restitutione actum sit, facile ad pia corpora alia argumentum formari poterit. Id omittendum non est, quod restitutio in integrum sit rei vel causae redintegrandae actio, iuxta PAVLVM *Recept. sentent. lib. 1. sent. 7. §. 1.* quodque non nisi iustis ex causis competat, ideoque duas eius species vulgo faciant praetoriam restitutionem et civilem, quarum posterior sit redintegratio *ex causa legibus civilibus ipsis comprehensa* competens, prior vero sit negotii *iure civili* validi laesionem tamen contra aequitatem naturalem inferentis redintegratio seu redintegrandi actio *ex iusta causa a praetore concessa*, qui factum laedens infectum habebat, ne ius civile strictum, quod directe euertere non debebat, applicare, adeoque nec laesionem ex facto resultantem comprobare possit; quae ipsa mens est PAVLI *cit.* An rite haec diuisio formata, an vero sola praetoria restitutio, quod ex definitione PAVLI videtur, proprie talis sit, non disputabo: sed moneo tantum, quod hae species duratione praesertim differre dicantur, ut praetoria intra annum praetorium imploranda, civilis autem perpetua sit. Cumque dictum sit, has restitutiones non nisi ex certis iustis causis competere; ita id non solum de civilibus, sed etiam praetoriis verum est: et haec quidem vel ex causis indeterminatis vel specificè determinatis dantur; inter quas quoque est lubricum aetatis minorennium.

§. III.

Haec pro fundamento quaestionis controuersae, quam exploro, praemittenda fuerunt. Nam qui restitutionem reipublicae et ecclesiae quadriennio exspirare vulgo volunt, eam ad praetorias determinatas et quidem ad causam lubrici aetatis referunt, nixi variis iuris textibus, quibus respublica et ecclesia *iure minorum frui* dicuntur, *L. 1. C. de Offic. eius qui vic. alic. iud. vel Praef. L. 4. C. Quib. ex caus. mai. XXV. ann. L. 3. C. de Iur. Reip. Cap. 1. 2. et 3. X. de In integr. restit. cap. 1. et 2. eod. in 6to.*

Qui

Qui autem eam perpetuam esse contendunt, ipsam ad ciuiles referunt. Hi adstruunt, quod I) reipublicae restitutio ex Imperatorum Constitutionibus adeoque sine dubio ex ipso iure ciuili originem ducat. Quamobrem non solum 1) ad *L. 1. C. de Offic. eius qui vic. alic. iud. vel Praef.* prouocant: sed ad contrariae sententiae rationem refellendam 2) obmouent, comparisonem quidem institutam esse inter minores et rempublicam, Imperatorem autem non addidisse, quod tempora restitutionis minorennium circa rempublicam obseruari debeant. Deinde II) ecclesiae hoc beneficium epistolis decretalibus Pontificum concessum esse, recte quidem aiunt; at inde porro concludunt, hanc restitutionem quoque esse ciuilem: cum 1) decretales magis iuri ciuili quam praetorio adnumerandae sint; et, 2) quod *cap. 1. et 2. de Rest. in integr. in 6to quadriennium* discrete praefixum sit, ex supina ignorantia cum principiis iuris pugnante factum esse, oggerunt *CONFORT. ODD. ET STRYK. citatos §. 1.* Videamus ergo, an vera sint, quae de reipublicae restitutione ex iure Romano prolata sunt: reliqua sponte fluent.

§. IV.

Verba *cit. L. 1. Cod.* ad quae prouocant, ita se habent: *Sane si in aliquo captum est ius reipublicae: Iuxta scita diuorum principum defensores reipublicae, si modo adesse fiduciam negotio putant, restitutionis auxilium possunt flagitare.* Existimant, liquido inde constare, quod reipublicae restitutio ex Principum constitutionibus descendat: quum in hac lege Imperator *GORDIANVS* eam *Scitis diuorum Principum* tribuat. Mihi aliud videtur. Curatius enim verba adducta considerans animadvertes, nihil prorsus de huius restitutionis origine ex scitis Principum nec alias circumstantias hac lege contineri, ex quibus ad eiusmodi originem vel probabilis saltem consecutio fieri possit. Id tantum *GORDIANVS* quaerenti *DOMITIO* rescripsit, quod is, qui vice Praefidis rempublicam administrauerit, potuisset in causa ad utilitatem reipublicae spectante cognoscere, adeoque acta sine dubio sint quidem ipso iure valida; verum, si ius reipublicae

blicae in aliquo laesum sit, quod defensores possint restitutionem flagitare *iuxta scita diuorum Principum*, seu, *quod itidem extra dubium sit, restitutionem talem exigi posse*, DE QVA, QVOD COMPETAT, IAM DVVDVM EX SCITIS DIVORVM PRINCIPVM EAM APPROBANTIBVS CONSTET. Plane itaque diuersa sunt, constare ex scitis Principum approbantibus, quod restitutio competat, et restitutionem introductam esse scitis principum. Sequitur potius, quod ea iam ante scita Principum exstiterit: tantum abest, vt originem ex scitis et praesertim ex constitutionibus edictalibus Principum habeat. Vt huius periphrasis veritas eo euidentior fiat, perpendas quaeso, quid sint *scita diuorum Principum*. Non ignoro, nec tu, lector beneuole, negabis, *scitum* in genere denotare *secretum, sancitum*. Sed id est, quod volo: sequitur nempe, scita diuorum Principum non praecise innuere edicta, adeoque constitutiones proprie dictas; verum rescripta quoque comprehendere. Quin quod praecipue rescripta potius intelligantur, vel sola vocabuli proprietates suadet. Est nimirum scitum a sciscere: sciscere idem est, ac sententiam dicere, suffragium ferre. FEST. *Lib. 2. et 17.* et confirmare, ALCIAT. *Comm. ad Tit. de V. S. ad L. 62.* POPMA *de Different. Voc. verb. sciscere.* Collige ergo ex his, *scita diuorum Principum esse rescripta et subscriptiones confirmantes restitutionem reipublicae iam iam usitatam, eique interpretatione extensiuam ex eadem lubrici aetatis causa, ex qua minoribus data, applicatam, de qua quaerentibus diui Principes confirmando rescripserunt.* Nec paradoxon aliquod profero: rescripta enim non semper nouas facere constitutiones, adeoque nec nouum ius, sed saepe de iure iam vigente et certo subtiliter et superflue dubitantibus confirmando respondere, perspicue ex *L. 1. D. de Constit. Princip. L. 1. §. 19. D. de Quaestion. L. 3. C. Si min. semaior. dix.* euicit GERHARDVS NOODT *in Dioclet. et Maxim. cap. 2. et 9.* Ne frustra haec dixisse videar, fictionibus lectori illudendo aut nimis remotis et generalibus ratiociniis certando, specialiora et huic causae proxima subnectam argumenta, quae demonstrant *scita* in nostra *Leg. 1.* significare et rescripta diuorum Principum, et rescripta ius,

B

quod

quod iam erat, approbantia suo suffragio. Quisque id facile perspiciet, qui percontabitur, quatenam sint illa *scita diuorum Principum*, iuxta quae rempublicam restitutionem flagitare posse, Imperator GORDIANVS in *L. 1.* asserit. Nullum sane magis perspicuum scitum in Iure nostro occurrit, quam ALEXANDRI SEVERI alias in hac causa nota *Lex. 3. C. de Iur. Reipl.* Rescriptum esse hanc *L. 3.* patet tam ex inscriptione, quam ex toto legis contextu. Quod vero eadem etiam sit rescriptum approbans ius, quod iam antea fuerat, verba huius *Legis 3* probant ista: *Rempublicam, ut pupillam, extra ordinem iuuari, MORIS EST.* Vides igitur, quod rescriptum Imperatoris se referat ad morem, secundum quem respublica extra ordinem seu contra strictum ius iuuaretur. Adeoque hanc restitutionem non ipse demum concessit Imperator ALEXANDER SEVERVS: sed moribus iam vsitatam approbavit. Adde, quae de hac Ictis familiari locutione obseruauit ALCIATVS *Parerg. Lib. 4. cap. 21.* Pari modo Ictus AEMILIVS MACER, qui ALEXANDRI SEVERI tempore inclaruit, in *L. 9. D. de Appellar.* de hac restitutione tanquam re nota et rescriptis declarata loquitur. Imo etiam post GORDIANI *Leg. 1. C. de Offic. ei. qui vic. alic. iud. vel Praef.* DIOCLETIANVS et MAXIMIANVS *L. 3. C. Quib. ex caus. mai. XXV. ann.* rescripto adstruxerunt: *Respublica minorum iure VTI SOLET:* quod vtrumque vocabulum consuetudinem contra ius ordinarium indigitat: posterioris enim hunc esse et vulgarem et legibus vsitatum significatum, patet ex *L. 43. pr. et § 9. D. de Rit. nupr.* de priore voce autem egit NOODT *L. 1. Probab. c. 2. 3. et Obseru. Lib. 2. c. 27.* Et quamdiu ante constitutiones Imperatorum editales restitutionem minorum respublicae dare consueuerit, testis est AVGVSTI tempore clari LABEONIS sententia, quam PAVLVS refert *L. 22. §. 2. D. Ex quib. caus. mai. XXV. ann.* secundum quam ciuitas et infantes pari censentur iure. Facile ex his conficitur, minorennium propter lubricum aetatis auxilium contra laesiones stricto iure validas ex identitatis ratione benigna interpretatione aut ipsorum praetorum, aut Ictorum, accedente praetorum in foris vsu, ciuitatibus applicatum, et sic moribus

bus introductam esse minorennium beneficii extensionem. Spectat huc non solum huius extensionis ratio, quod ciuitas, ab aliis vt minorennis administranda, in perpetua conficatur esse minorennitate et tutela *STRYK. Vj. Mod. Tit. de Reb. Cred. §. 26.* ac quod vulgo tradant, in eiusmodi vniuersitate plures esse pupillos: verum et ipsa *cit. L. 3. C. Quib. ex caus. maior. XXV. ann.* diserte dicit: *respublica MINORVM IVRE VTI SOLET*, atque *L. 3. C. de Iur. Reip. asserit, rempublicam VT PUPILLAM EXTRA ORDINEM iuuari.*

§. V.

Sua sponte nunc corruet alterum dubium, per se satis infirmum; ac si Ius Romanum comparatione tantum cum adulescentibus contulerit ciuitatem, nec addiderit, quod ciuitati obseruandum sit tempus restitutionis minorennium. Fateor, adesse comparationem: proprie enim nec minor aetas nec maiorennitas de republica praedicatur. At nullo modo defendi poterit, nudam hic occurrere comparationem effectu iuris destitutam. Nam minorennitas de ciuitate non dicitur oratorio more venusti sermonis aut obscurae rei similitudine quadam illustrandae causa: sed, vt in Iuris arte saepe fit, iurium rei cuiusdam ad aliam, quae proprie talis non est, vt tamen iisdem iuribus frui possit, comparatione quadam et iuris intellectu pro tali habetur, extendendorum gratia. Quod haec in nostra restitutionis causa quoque ita se habeant, luculenter constat et ex *di-ctis §. anteced. in fin.* de ratione huius auxilii, et ex verbis *utriusque Legis 3. C. citatae*, in quibus deprehendes iurium causa e cuiusdam, id est minorennium ad aliam, nempe ciuitatem comparatione pro eadem cum illa habitam, extensionem. Nec vrgere poteris ex *L. 3. C. de Iur. Reip.* verba: *vt pupillam*: cum inde non sequatur, nudam adesse comparationem. Et quid si dicere? particulam *vt* non indicare hoc loco similitudinem, nec explicandam esse per *sicuti*, verum designare ipsam rei qualitatem iuris dispositione ei impositam, et aequipollere particulae *utpote*. Sane nihil admitterem contra dicendi vsum vel probae La tinita-

tis scriptorum *vid.* HORAT. TVRSELIN. *de Particul. cap. 247. §. 18.* vel legum Romanarum *vid. L. 3. C. de LL.* Suadent certe hanc explicationem cum substrata materia, tum ea, quae in antecedentibus deducta sunt. Incongruum adhuc notes, quod non euitabunt, qui, nudum simile hac in causa occurrere, sibi fingunt. Ipsi non negant, sed sedulo inculcant, ciuitatem ipso minorennium iure frui quoad ipsam restitutionem in integrum, nec non in contrahendo aere alieno, et alienationibus, confer STRYK. *Vf. Mod. loc. cit.* at quoad vnicam huius restitutionis qualitatem, durationem eius scilicet, nolunt eam frui iure minorennium, sed tantum comparari cum illis. Quomodo haec cohaereant, alii curent.

§. VI.


Cum ergo dubia contra quadriennium restitutionis reipublicae non solum remota sint, sed simul, quantum satis est; demonstratum sit, minoribus concessum auxilium extensum esse ad ciuitates: sequitur praeterea, quod hoc reipublicae beneficium plane non sit noua aut separata species restitutionum, sed tantum ipsius praetoriae restitutionis ex minorennitatis causa datae extensio. Restitutionum species enim diiudicandae sunt ex causis propter quas, et ex Iuris specie, qua datae sunt *per §. 2.* In praesenti casu autem nulla specialis et noua causa, sed ipsa minorennitas et lubricum aetatis huius, quod in minoribus proprietatibus redintegrationem operatur, supponitur in republica *per §. 4. et 5.* et tantum ad aliud subiectum extenditur. Atqui eiusmodi beneficium ad aliud subiectum extensio, maxime quae fit, supposita eadem ratione (iuris intellectu) ob quam ipsum beneficium inuentum est, non ex pristino beneficio nouum aliquod efficit; nec totam eius naturam immutat, vt pro diuerso prorsus remedio haberi debeat: verum, quod omnes eius qualitates saluas relinquat, nisi quatenus extensio facta, per se euidentis est. Qua propter frustra quaeritur, an reipublicae restitutio sit ciuiliis an praetoria, atque an quadriennio expiret, an perpetuo duret, cum plane non sit noua restitutionis species. Et licet Imperatorum

peratorum edictis, quod tamen falsum est, originem deberet: frustra tamen eadem mouerentur quaestiones, cum et sic non nouum introductum esset remedium, sed iam exstans tantum extensum. Comprobant assertum aliae extensiones ipsius restitutionis minorennium, introductae tam ICTORUM interpretatione accedente fori vsu, quam approbatione Imperatorum, quae amplificatum istud praetorium adiumentum in ciuile non transformarunt, aut eius naturam immutarunt: tantum abest, vt eiusmodi extensio pro remedio perpetuo competente ab vlllo haberi potuerit. Sit tibi exempli loco auxilium iuuenile primum saltem minoribus curatoribus destitutis in causis extraiudicialibus concessum, postea ad minores curatorem habentes et causas iudiciales ac eos, qui a curatoribus indemnitate obtinere possunt, dilatatum: sit tibi porro exemplum ipsum tempus petendae huius restitutionis, annus nimirum praetorius in quadriennium Imperatoris IUSTINIANI constitutione mutatus. Nihil itaque restat, quam vt concludam, quod, cum aliud expressa lege determinatum non sit, restitutio reipublicae ex causis non communibus sed minorennitatis iure competens intra quadriennium sit imploranda.

§. VII.

Reliquum est, vt paucis disquiram, quid de ecclesiae adeoque et piorum corporum restitutione sentiendum sit, an haec forsan ciuilis sit atque perpetua, an vero quadriennio expiret. Quod posterius affirmandum sit, facile constabit non solum ex disertis verbis *cap. 1. et 2. de Restit. in integr. in 6to* verum etiam ex illis, quae de reipublicae restitutione ex Iure Ciuili tradita sunt. Supra §. 3. accepimus, neminem negare, quod hi textus ecclesiarum restitutioni quadriennium praefixerint, sed vapulare tantum Pontifices et ignorantiae accusari, cum decretales suas non pro iure praetorio sed ciuili venditent, et tamen absone praetorium terminum beneficio a se concessio imposuerint. Sed ignorantiam istam hac in causa breuibus ex iam deductis §. 5. et 6. excusabo. Esto enim, quod ecclesiae restitutio

data sit epistolis decretalibus Pontificum; dabo et illud, quod decretales non pro iure praetorio haberi velint: nihil tamen inde efficitur. Nam nec Ius Canonicum nouam restitutionis speciem introduxit, sed iterum tantummodo Praetorium iuuenilis aetatis auxilium ad aliud subiectum, ecclesias nimirum et alia pia corpora, extendit. Sic *cap. 1. X. de In integr. rest.* videbis haec: *et ecclesia IVRE MINORIS debeat semper illaesa seruari: sic cap. 3. in f. eod.* leges ista: *nos attendentes, QVOD VTRAQVE ECCLESIA FVNGATVR IVRE MINORIS, aequitate pensata vtramque restituimus contra reliquam.* Cum autem supra §. 5. et 6. abvnde demonstratum sit, beneficii huius naturam tali extensione non immutari; merito non solum vel ex hoc, alia enim mitto, colligendum est, quod Pontifices ecclesiarum restitutionem quadriennio rite incluserint: verum etiam simul et ignorantiae maculam textibus istis Iuris Canonici absterfisse et proposito meo satisfecisse, mihi videor.



II.
PROGRAMMA IVRIDICVM
DE
SORITE FALLACI
ET DE
S E N S V

Legis CLXXVII. D. de Verb. signif.


IVNCTA

Legis LXV. D. de Regul. iur.



II
PROGRAMM
SORTIE
S. N. S. V.
1860
1861





Q. D. B. V.

§. I.



Exercitium disputatorium cum quibusdam Nobilissimis Iuuenibus suscipiendum hac praefatione indicatur, paucis de *SORITE FALLACI et Sensu Legis* 177. *D. de Verb. Signif. iuncta Lege* 65. *D. de Regul. iur.* differere constitui. Nec alienum videtur, tractare de argumentatione, qua disputantes non raro vtuntur, de cuius natura tamen longe aliter et minus benigne sentiunt *ICTI*, legum citatarum autores, quam Philosophi recentiores. Ait *VLPIANVS* in *L. 177. D. de Verb. Signif. Natura cauillationis, quam Graeci σοεισμων* appellauerunt, haec est, vt ab euidenter veris per breuissimas mutationes disputatio ad ea, quae euidenter falsa sunt, perducatur. Eadem est *IULIANI* sententia in *L. 65. D. de Reg. iur.* Abunde constat, *ICTOS* hos, id argumentandi genus sua natura calumniosum esse, adstruere *ALCIAT. ad Leg. cit. 177.* Plane aliter vero *foriten* explicant Philosophi, aequi recentioris, eam dicentes argumentationem redundantem, in qua plures propositiones ita concatenantur, vt praedicatum primae fiat subiectum secundae, praedicatum secundae fiat subiectum tertiae, et ita deinceps, donec tandem in conclusione colligatur praedicatum ultimae de subiecto primae *CHAVVIN Lexic. Rational. artic. Srites*: ex his autem fraudulosa huius argumentandi generis indoles nequam apparet.

§. II.

Quid ergo de *ICTorum* nostrorum sententia, *foritae* naturam fallacem esse pronunciante, dicendum? Sola enim pluri-
um propositionum coaceruatio, vnde nomen huius argu-
menti

C

παρξ

παρὰ τὸν σωζὸν ab *aceruo* dictum, fraudis causa non est; etsi quem FORTVNAT. CRELLIVS *Part. comm. L. 3. c. 23.* huc inclinare videatur: cuius dubia SCHEIBLERVS *Opere Logico Part. 4. c. 13. Tit. 10. n. 86. seq.* remouit: cum sorites possit ad ordinariam aliquam figuram reduci, quod fieri non posset, si forma eius esset sophistica; et in vnico syllogismo aequè insidiosae fallaciae strui possunt, quam in coniunctione plurium, atque in hac progressionè enthymematica.

§. III.

Neque tamen pro defendenda sorite aduersus ICTOS aliquid facient variantes *Legis cit. 177.* lectiones. Siue enim pro vocabulo σοφίτην cum quibusdam, referente BRECHAEO *ad h. Leg.* substituas σοφιστήν, siue cum aliis, ALCIATO *loc. cit.* exponente, διαβολήν, vel γοητείαν, siue cum ipso ALCIATO et BRECHAEO *cit. loc. σοφισμα* ponas, frustra et superflue emendabis: cum de cauillatoria indole soritae alia essent testimonia. Sufficit, quod inter tractatus et quaestiones τῶν ἀπορῶν id est *in-explicabilem* seu inter quaestiones, quibus quis respondere vix possit, quin in captione haereat, praecipue sit pseudomenos et sorites, quemadmodum ex LAERTIO *in Zenone Citico*, CICERONE *in Hortens.* AVGVSTINO *contr. Academic.* HIERONYMO *in Rufinum et Amos.* exponit CVIACIVS *ad Africanum Tractat. 5. ad L. 88. D. ad Leg. Falc.* adde CICERONEM *L. 1. de Orat. ad Q. Fratrem*, et vide dicenda §. seq. Deinde contra ALCIATI lectionem valebit, quod ipse caeteris opposuit; scilicet σοφίτην, vti ANTON. AVGVSTINVS *Lib. 4. Emendat. cap. 16.* legendum esse probat, rem magis specialiter exprimere: praesertim cum ex mox dicendis apperebit, descriptionem, quae in hac *L. 177. D. de Verb. Sign.* continetur, soritae specialem indolem exactissime exhaurire.

§. IV.

Proxime ad rem accedunt, qui soriten prisca vsitatam prorsus differe a sorite, quam ex recentiore Philosophia §. I. accepimus, eamque fuisse captiosum aliquod interrogandi genus, quo coaceruatis interrogationibus minuatim et gradatim addebatur aut demebatur aliquid ROETENBEC. *Logica Vet. et Nou. P. 2.*

§. 2057.

§. 2057. *not. a. SVEVIVS ad Tit. de V. S. Lib. 2. pag. 418.* nam cap. ptiotas argumentationes, quibus Stoici, Megarici et alli antiqui Philosophi vsi sunt, a PLVTARCHO in *Libro de Repugnant. Stoicorum* dictas esse Μεγαρικά ζητήματα, ποτιε MENAGIVS in *Amoenit. Iur. Ciu. cap. 1.* IDEM EX LAERTIO in *Euclide* haec profert: Τῆς δ' Εὐκλείδου διαδοχῆς ἐστὶ καὶ Εὐβουλίδου ὁ Μιλήσιος, ὃς καὶ πολλὰς ἐν διαλεκτικῇ λόγους ἠρώτησε τὸν τε ψευδόμενον, καὶ τὸν διαλανθάνοντα, καὶ ἠλέκτραν, καὶ ἐγκυκαλυμμένον, καὶ σωρεστὴν, καὶ κερατῆν, καὶ Φαλακρόν: *Ceterum ex eorum numero, qui Euclidi successerunt, Eubulides exstitit Milesius, cuius multa sunt in dialectica interrogationum genera: mentiens, fallens, electra, velata, sorites, ceratine et calua.* Quin id ipsum volunt haec legis nostrae verba: *per breuissimas mutationes DISPVATIO ad ea quae euidenter falsa sunt PERDVCA TVR: nam DISPVATIO interrogationibus perficiebatur lege dialectica, atque dialectica est ARISTOTELI ἐρωτηματικὴ, CVIAC. cit. loc. Mutationes autem istae breuissimae, quibus disputatio ad aperte falsa perducta dicitur, hoc modo contingebant; si posteriores interrogationes aut aequiuocationem generum non distinguentes, aut in accidenti vel attributo peccantes paralogismum efficerent* GOEDD. *ad Tit. D. de Verb. Sign. ad Leg. 177.* atque inde contingebat, *ut postquam ad priores quaestiones aperte veras generaliter responsum, in subsequentibus interrogationibus aliquid addendo vel minuendo, accedente quoque aliqua crispis, mutationes breuissimae fierent conf. ROETENBEC. cit. loc. §. 2077. SCHEIBLER. cit. loc. n. 84.* et sic ad has respondens caperetur. Verum quomodo inde captio interrogationibus tribuenda? numne mutationes istae insidiosae et crispes fallaces aduersarium aequae irretire possunt, si propositiones plures citra interrogationem iungantur? nun qui non satis prudenter ad mutationes in quaestionibus contentas respondet, prudentior erit, si propositio simpliciter proferatur? Mihi non videtur: praesertim cum quamlibet interrogationem in propositionem simplicem facile conuertere possis, et vice versa. Itaque nondum satis apparet antiquae soritae indoles captiosa.

§. V.

Sed nihilominus his vestigiis insistendum est, et quod adhuc deest, ex veteribus autoribus suppiendum. Optime autem

C 2

id

id effici, simulque captiosa soritae natura cognosci poterit, si adeamus A. GELLIVM. Hic in *Noctibus Atticis* L. 16. c. 2. egregie eam exponit, simulque consilium, insidiis euadendi, suppetit. Nimirum non solum facile accidere poterat, ut, qui ad priores interrogationes *aperte veras* VNIVERSALITER responderat, induceretur, quo ad subnexam interrogationem *mutationem fallacem* continentem, quam incautus non sentiebat, *aeque VNIVERSALITER responderet*, neque cripsin et fraudem explanatione, distinctione et limitatione manifestaret, *et sic demique ad aperte falsa deduceretur*: verum, quod maximum est, *non licuit ex lege disciplinae dialecticae responsio explicans, distinguens et limitans; sed ad quaestionem, etsi fallacem contineret mutationem, nihilominus generaliter respondendum fuit, nisi quis indoctus videri voluerit*. Hinc factum, ut a sophistis insidias streuentibus per soritem necessario irretitus fuerit aduersarius, dum ad quaestionem primam aperte veram absolute respondisset, dein ad quaestionem subnexam prioris interrogationis iam concessae praedicatum in subiectum et quidem cum additamento aut diminutione captiose conuertentem iterum absolute et citra distinctionem respondere deberet, vnde tandem colligendo praedicatum vltimae de subiecto primae interrogationis conclusionem sibi contrariam for nari videret. Exemplo rem illustrat GELLIVS *cit. loco*, quod apud ipsum videas. Quale itaque contra eiusmodi cauillationes dialecticas consilium? ait GELLIVS: *non esse captiosis interrogationibus respondendum*. Idque recte: nam absolute affirmans capiebatur, absolute negans contra veritatem apertam nitebatur, distincte respondens non admittebatur, et indocti notam incurrebat; ergo nil restabat, quam ut plane non responderetur. Ex his de antiquae soritae natura fallaci simulque de sensu legum propositarum sufficienter constabit.

§. VI.

Quoniam vero hodierni Philosophi soritem longe aliter definiunt, atque interrogationes in argumentis minus sunt usitatae, ac, si quaedam occurrant, lex tamen ignoratur, ne quoad externa verba responsio ab interrogatione discrepet, neue explicatio, distinctio, limitatio responsioni addatur; colligo ex his et dictis

dictis §. 2. atque §. 4. in fin. eam pro cauillatione sua natura non esse habendam. Potius hunc ratiocinandi modum iustis principiis niti, neipe partim regula: *quidquid essentiali praedicatione dicitur de praedicato, id etiam dicitur de subiecto*, partim etiam necessaria cohaerentia causarum proximarum et remotarum, item causarum et effectorum per se deduxit SCHEIBLERVS loc. cit. n. 9. vt tantum per accidens et abusum fiat, si fallat. Recte itaque RÖTENBECC. cit. loc. §. 2078. vsum eius adstruxit. Nec minus recte, imo potius admodum commode hanc argumentationem in Iuris Disciplina applicare possumus. Namque ICTOS omnino oportet esse sollicitos de certitudine doctrinarum Iuris, ita tamen, vt hac in re obseruandum sit, ne nimia prolixitate et superfluis ambagibus sibi et aliis molesti fiant. Enimvero diffusa legum disciplina, cultorem Philosophia imbutum supponens, nec indiget nec fert, quo in quauis tractatione exordium fiat a primis principiis ontologicis, aut vbiuis syllogismorum perfectorum series proferatur, ni insigni abusu chartam, tempus, operam perdere velimus: enthymematibus potius et sorte ab axiomatibus et regulis proximis alibi deductis doctrinae sunt probandae. Taceo, quod, qui vbique concatenatos syllogismos et demonstrationes gloriantur, non raro conglomeratis potius paralogismis et sophismatibus fallantur et fallant. Sed haec praefaminis loco de sorte fatis: caeterum adeas Philosophos.

§. VII.

Eorum causa nunc agenda est, propter quos tractatio suscepta. Nimirum nescio, cur tantus sit exercitii disputatorii neglectus inter Iuris Cultores, quorum tamen futura applicatio Iurisprudentiae disputationibus fere absoluitur. Facile colligi poterit, quomodo, siue in cathedris, siue in foris, versaturi sint milites parum exercitati, alacritate ad pugnandum destituti, et certandi prudentiae expertes. Atque vnde euenit, quaeſo? vt iis, quibus cum vfu plus animi quam scientiae est, in foris non raro succumbant cum dedecore hi, qui quidem regulas iuris satis callent, sed in conflictum serium descendere coguntur, cum pugnari instruere ludicris certaminibus academicis nunquam dicerint, nunquam ausi fuerint: ast adeant velim, THOMA-

SIVM Dissert. de Charactere et circumspectione medici ad curand. taediositat. process. §. 7. Attamen non defuerunt nec desunt meliora videntes et sequentes: ex his etiam praesenti tempore nonnulli Iuvenes Nobilissimi Iurium cultores ab industria, eruditione, morumque integritate commendandi flagitarunt publicum exercitium disputatorium, non ostentandi et gloriae captandae, sed profectum excolendorum atque alacritatem, vna cum prudentia ad futuram militiam togatam necessaria, acquirendi ergo, non sine exemplo suscipiendum. Non obstiti laudabilibus conatibus: sed quo magis finem sibi propositum obtineant suaorsui, vt iuxta ordinem Digestorum ad singulos eorum libros singuli theses ederent in cathedra publica defendendas, quas ipsis intactas reliqui, quo facilius sit respondententi defensione, caeteris autem liberior oppugnatio. Itaque B. c. D. per semestre spatium *quouis die Sabbati ab hora III. pomeridiana* disputatio, et prima earum *die XV. Iunii a. c.* habebitur in Auditorio Iuridico auf der Waage. Respondentem in hoc exercitio ordine, quem fors assignavit, eodemque opponentium officium sustinebunt Respondentem sequentes,

DN. IVSTVS GOTHOFREDVS MASCHKLAPPEN,
Quedlinburgensis.

DN. SIEGFRIED COESO AEMINGA,
Möllena Megapolitanus.

DN. ANTONIVS FRIDERICVS REIMERS,
Halensis Magdeburgicus.

DN. CAROLVS VRBANVS FRIDERICVS FRICKE,
Guelpherb.

DN. MATTHIAS HESSLINGH,
Embda Frisus.

DN. ADAMVS IOACHIMVS SANDER,
Sedino Pomeranus.

Qua propter, vt PATRONI et FAVTORES sua praesentia egregiis horum Iuuenum conatibus stimulum addant, ea, qua par est, obseruantia obnixè rogo. Dabam Halae die Vltò Iunii Anni MDCCXXXVII.



THESES

Occas. Lib. I. Digestorum

AB AVCTORE

IVST. GOTHOFRED. MASCHKLAPPEN

QVEDLINBVRGENSI

PVBLCICE DEFENDENDAE D. XV. IVN. MDCCXXXVII.

THES. I.

Leges in republ. sunt necessariae: etenim, si sine legibus in republ. viueremus, neque norma iudicibus praescripta esset, secundum quam hominum actiones diiudicare debeant, facile affectibus in transversum agerentur.

II. ICI atque Aduocati in republ. sunt necessarii *L. 2. §. 13. ff. de O. I.*

III. Iurisprudencia constat interpretatione atque applicatione legum.

IV. Interpretatio diuiditur in authenticam, doctrinalem, et vsualem.

V. Interpretatio authentica est secundum quid noua lex.

VI. Differt officium iudicis et Doctoris; hic interpretatur leges atque inquit, num sint iustae; ille vero easdem adplicat.

VII. Ius scriptum sero apud Germanos inualuit. *Conf. CONRING. de orig. iur. Germ. c. 2.*

VIII. Scriptura non requiritur ad legis essentiam.

IX. Princeps suis non tenetur stare legibus.

X. Consuetudo derogat legi, et vice versa *L. 32. §. 1. ff. de LL.*

XI. Statuta sine principis confirmatione non valent.

XII. Priuilegia non debent laedere ius tertii, quamuis vt plurimum fiat: exemplum possunt praebere monopolia.

XIII. Priuilegiatus contra aequae priuilegiatum non vitur suo priuilegio, nisi certet de damno vitando, alter vero lucrum capter.

XIV. Partus vndecimo editus mense pro illegitimo non semper reputandus. *Conf. FABROTTVS in Diss. de temp. part. hum. CARPZ. l. 2. Consist. desin. 225. n. 13. seqq.*

XV. Matri filium illegitimum asserenti haud creditur.

XVI.

XVI. Mater praegnans non potest terreri, quamvis a praestatione iuramenti non sit immunis.

XVII. Inter liberos legitimos et legitimatos adhuc hodie distinguitur.

XXVIII. Quod hodie bello capti non detrudantur in seruitutem, ex arbitrio gentium dependet.

XXIX. Distinctio inter ciues et peregrinos adhuc hodie obtinet. Vid. Perillustr. Cancellar. a LVDEWIG in *Diff. de Peregrin. albinag. et wildfang.*

XX. Quamvis matrimonium demum ultimo vitae articulo contrahatur, tamen legitimatio per tale matrimonium adhuc fieri potest.

XXI. Ad essentiam legitimatationis per subsequens matrimonium non pertinent dotalia instrumenta in Germania.

XXII. Matrimonium inter compriugnos valet.

XXIII. Dantur tantum quatuor species iuris in re, nimirum dominium, seruitus, pignus, etque hereditas.

XXIV. Liberi ante dignitatem susceptam progeniti eiusdem tamen dignitatis participes fiunt. *L. 5. ff. de Senator. L. u. C. de Dign.*

T H E S E S

Occas. *Lib. II. Digestorum*

AB AVCTORE

SIEGFRIED. COESO. AEMINGA

MOELLENA MEGAPOLITANO

PVBlice DEFENDENDAE DIE XXII. Ivnii MDCCXXXVII.

THES. I.

Iurisdictio opponitur mero imperio.

II. Iurisdictio strictissime non continet aliquam coactionem.

III. Non executio sed sententia est extremum in iurisditione.

IV. Iurisdictio prorogatur per reconuentionem.

V. Datur tamen reconuentio citra prorogationem.

VI. De quacunq; causa iudex cognoscere nequit per modum conuentionis, de eadem nec potest cognoscere per modum reconuentionis.

VII.

VII. Datur actio civilis ex aequitate.

VIII. Priuata auctoritate aduersarium inuitum oborto collo ad tribunal rapere licebat I. Rom. antiquo.

IX. Non licebat de domo sua aduersarium in ius vocare, multo minus vi extrahere.

X. Diuisio citationis in verbalem, et realem non omnino recta est, in ordinariam et extraordinariam est.

XI. In fideiussoribus magis diues consideratur, quam bonus vir, et hoc quidem recte.

XII. Non absurdum erat apud Romanos, quod quandoque pro paupere pauper admitteretur fideiussor, et pro diuite requiretur diues.

XIII. Actionis editio hodie fit per oblationem libelli.

XIV. Praestat in actionibus realibus causam petendi adducere specialem, quamuis et generalis sufficiat, in libellis.

XV. Reus auctori instrumenta edere non tenetur.

XVI. Ex pacto nudo datur actio in Germania, non iure Rom.

XVII. Distinctionis contractuum in bonae fidei et stricti iuris hodie vsus nullus est.

XVIII. Transactio propter errorem non rescinditur, nec per instrumenta nouiter reperta, nec per laesionem enormem.

THESES

Occas. Lib. III. Digestorum

AB AVCTORE

ANTONIO FRIDERICO REIMERS

HALENS, MAGDEBURGICO.

PVBLCICE DEFENDENDAE D. XXIX. IVNII MDCCXXXVII.

THES. I.

Aduocatus est persona idonea pro aliis postulans, h. e. desideria aliorum in iure et iudicio exponens, aut aliorum desideriis contra dicens. Inuentum aduocatorum officium est, vt lites dirimantur, amicitia inter homines conferuetur, litigatoris succurratur qui suum tueri causamque dicere ignorant; qua de re publicum vocatur, et pro fure

D

tam,

tam, quam latrone, immo et haereticò postulare debent. *Diff.* TILMANNVS in *Disput. Pandect. Disp. IX. th. II.*

II. Aduocatus dolo bono in causis peragendis salua conscientia et honestate vii potest; praesertim quum dolum bonum iure diuino et naturae adhibere prohibitum non sit *Genes. 22. et 27. et Musculus in Genes. pag. 631.* Plura reperiuntur apud RITTERSHVS. in *Com. ad L. 23. de R. I.*

III. Caussarum patronus salua conscientia, si aliud remedium ad obtinendam iustam causam non adest, aduersarii turpitudinem adlegare potest.

IV. Prohibitus foro, etiam domi litigantibus in scriptis consulere nequit. *Diffent.* WESENBECK. in *Parat. ff. h. t. num. 5. et alii* apud HILLIG. ad *Donell. lib. 18. cap. 3. lit. H. H. adlegati.*

V. Salarium pro tota lite promissum aduocato ante litem finitam non debetur. *Diff.* ZACHIAS de *salario quaest. 13. num. 13.* putans? id, quod ex legis dispositione debetur, ab initio solui debere per abusum verficulorum:

Annua si debes, tunc inspicias caput anni

Anno si debes, in fine teneberis anni.

VI. Tutor ante nuptias cum pupilla vel adulta etiam nostris moribus ad reddendas rationes est obligatus, occasione CARPZOVII *Part. IV. Const. 23. Def. 17.*

VII. Condemnati fama, ob poenam grauiorem illi irrogatam, etiam hodie conseruatur. *Diff.* MORNAC. et GROENWEGEN ad *L. 13. §. 7. de His, qui not. infam.*

VIII. Falsus procurator, de quo constat, quod mandatum non habeat, sub cautione de rato non est admittendus.

IX. Negotiorum gestor in negotiis periculosis ad leuissimam tenetur culpam; licet nullam exinde sentiat vilitatem. Intuitu reliquorum negotiorum sufficit culpa leuis.

X. In dubio semper pro negotiorum gestore pronunciat.

THESES

THESES

Occaf. Lib. IV. Digestorum.

AB AUCTORE.

CAROLO VRBAN. FRIDERICO FRICKE

GVELPHERE.

PVELICE DEFENDENDAE D. VI. IVLII MDCCXXXVII.

THES. I.

Restitutio in integrum est remedium extraordinarium, quo causa propter laesionem amissa in pristinum statum reducitur.

II. Restitutio in integrum non reddit causam meliorem, nec peti potest in foro contractus

III. Datur etiam restitutio contra sententiam,

IV. Non omnis vniuersitas restitutione in integr. fruitur.

V. Foemina ob damnum, quod ex negotio curatoris auctoritate firmato patitur nec curatorem conuenire, nec restitutionem in integrum petere potest.

VI. Metum etiam contra magistratum allegare licet, si de facto processerit: Vnde tali iudici potest resisti vt priuato.

VII. Fures adulteriu si in furto vel adulterio deprehensi, dederunt et promiserunt restitutione gaudent.

VIII. Causa vrbiu alia non fuit, quam metus et luxus.

IX. Actio de dolo non datur contra parentes et patronos nec homini plebeio contra aliquem in dignitate constitutum, nec propter rem minimam.

X. Minores aliquando in iudiciis sine curatore stare possunt.

XI. In genere de minoribus obseruandum: quod succuratur iis, vbi damnum passi; vbi dederunt damnum, resarcire, qua poenam autem mirius haberi debent.

XII. Restitutiones praetoriae in Germania inuiles sunt, excepta restitutione minorenum extensa iure Romano recentiore.

XIII. Hodie in ipsum iudicem compromittere licet: et filius in causa patris arbiter esse potest. Substitutio autem non valet.

XIV. Arbitrio iudicis relinquitur quod in iure definitum non est.

XV. Iure Germanico noua hospitia vel diuerforia in urbibus in praeiudicium veterum instituire non licet.

XVI. Hodie die *Verleybung der Tauernen* i. e. locorum, ubi hospites recipiuntur, pro actu iurisdictionem probante quibusdam in locis habetur. Imo ius erigendi diuerforia a nonnullis ad regalia refertur.

THESES

Occaf. Lib. V. Digestorum

AB AUCTORE

MATHIA HESSLINGH

EMEDA - FRISIO.

PVBELICE DEFENDENDAE D. XIII. IULII MDCCXXVII.

THFS. I.

Processus tumultuarius, quem ius canonicum in notoriis permittit, nihil aliud est, quam tyrannis papalis

II. L. C. generalis non solum in iure ciu. sed etiam canonico fundata est.

III. Ob suspicionem recusari potest integrum collegium, imo ipsa camera imperii.

IV. Recusatio iusta suspecti iudicis nulla est iniuria.

V. Dotem, licet alibi promissam, in foro mariti secundum huius iura repetere tenetur vxor.

VI. Remissiones delinquentium in Germania non sunt necessitatis.

VII. An iudex, a principe datus hac lege, *ne recusari queat*, nihilominus ob causam possit recusari; affirmatur.

VIII. Comitem Palatinum munere iudicis defungi, si quis imperatorem conuenire necessum habeat, imperatoriae maiestati haud derogaret. STRYK. *Vf. Mod. Tit. de Iudic. §. 24.*

IX. Studiosi, licet magis Bacho et Veneri lirent, quam Musis, nihilominus priuilegiis academicis gaudent.

X. Non valet libellus querelae inofficiosi, qua petitur sola rescissio testamenti.

XI.

XI. Rectene dicatur abolita querela inofficiosi, per dictum fori Gallici, *le mort saisit le vis*, negatur.

XII. Legitima omnino est relinquenda titulo institutionis.

XIII. Clausula codic. excludit querelam inofficiosi test.

XIV. Renunciatio querelae, viuo adhuc patre non valet, at fecus, si pater renunciaret.

XV. B. F. possessor nequidem lucratur fructus mere naturales.

T H E S E S

Occas. Lib. VI. Digestorum

QVAS D. XX. IULII MDCCXXXVII. PVELICE DEFENDET

AUCTOR

ADAMVS IOACHIMVS SANDER

SEDINO-POMERANVS.

THES. I.

Rei vindicatio datur cuicumque domino, siue plenum siue minus plenum, pertuum vel temporarium habeat dominium.

II. Rei vindicatio datur contra quemuis possessorem, quouis modo rem teneat, modo restituendi habeat facultatem *L. 9. D. de Rei vindic.*

III. Cum effectu tamen tantum contra eum, qui proprio nomine possidet.

IV. Haec actio semper supponit rem singularem.

V. Nihilominus datur ob vniuersitatem rerum.

VI. Hac actione conuentus malae fidei possessor vtilis impensas saltem tollit.

VII. Vtilis impensae nequidem bonae fidei possessori indistincte restituuntur.

VIII. Iure Rom. bonae fidei possessor fructus consumptos nequidem restituit vindicanti, etsi inde locupletior factus: mores contrarii, ad quos quidam prouocant, nec cum principiis Iuris Romani nec Germanici conueniunt.

IX. Non est sine effectu, quod iure Romano fructus bonae fidei possessori dicantur acquiri reuocabiliter.

X. Inde quoque est, quod hic nequidem omnes fructus exstantes restituere teneatur.

XI. In dote res succedit in locum pretii, et vice versa, indeque obtinet vindicatio rei pecunia dotali acquisitae. *Nec obs. L. 12. C. de iure Dot. vide enim L. 12. §. 1. C. Qui potior. in pign.*

XII. Vindicantem repellere nequit possessor exceptione pretii soluti restituendi.

XIII. Actio Publiciana est rei vindicatio praetoria.

XIV. In actione Publiciana bona fides perpetua etiam hodie non requiritur, etsi ius canonicum, malam fidem superuenientem praescriptionem impedire debere sancierit.

XV. Qui ex legato dominium rei habet, actionem Publicianam mouet, etsi ipsi nondum fuerit tradita.

XVI. Contractus emphyteuticarius est consensualis.

XVII. Hinc ad essentiam eius non requiritur scriptura.

XVIII. Aliud tamen est in emphyteuti ecclesiastica perpetua.

XIX. Laudemium soluit nouus emphyteuta, qui rem titulo singulari accepit.

XX. Terminus laudemii soluendi sub poena priuationis fundi emphyteutici iure ciuili non est praescriptus.

XXI. Emphyteusis secularis ad omnes haeredes vtriusque sexus transmittitur.

XXII. Emphyteuta fundo iuste priuatus impensas in fundum factas non repetit.

XXIII. Germanica bona emphyteuticaria in multis differunt a Romanis.



III.
PROGRAMMA IVRIDICVM
DE
BROCARDICO:
ILLIQVIDI CVM LIQVIDO
NULLA EST
COMPENSATIO

Ad L. ult. §. 1. C. de Compensat.

VVLGO:

Geld vor, Recht nach.

III

PROGRAMMA IURIDICVM

FRANCARDICVS

ILLVSTRI CVM LIQVIBVS

NULLA EST


COMPENSATIO

ALL. AN. S. C. S. COMPENSATIONIS

1770

Gold von, Recht nach





Q. D. B. V.

§. I.



Antiqua non solum apud Romanos regularum iuris fuit autoritas: sed in Germania etiam hodie a multis magni habentur sententiae iuridicae, quae a BURCHARDO Episcopo Wormatiensi, qui sec. XI. floruit, dicuntur Brocardica, STRAVCH *Amoenit. Iur. Can. Eclog. VI. c. 6.* Nec omnino res erit reprehendenda, praesertim in Iuris forensibus, quos oportet plurima ex memoria exponere; cum tamen insignem legum molem vix sustinere possit hominis memoria: cur itaque brocardica, axiomata iuris continentia, non deberent subuenire, ubi memoria deficit? Neque vero dissimulandus est eiusmodi sententiarum abusus, quem cum DVARENO *Comment. ad L. 1. §. 4. D. de V. O. Cuiacio in Papinian. ad L. 4. D. de Vsur. THOMASIVS Diff. de Fatuit. brocard. caus. fatua excus. a dol. cap. 1.* notauit: saepe enim loco iustarum regularum circumferuntur obscurae, inadaequatae imo falsae positiones, quae, quo fertiliores sunt conclusionum, eo plures gignunt errores. Idecirco adhibenda sunt brocardica cum duplici cautione PAVLI in *L. 1. D. de Reg. Iur.* vt, scilicet, eorum veritas et autoritas ex ipsis legibus harumque valore et veris iurisprudentiae principiis aestimetur, et in applicatione omnes circumstantiae rite considerentur, an regula ad eis pertineat. Eodem examine indiget tritum dictorium: *Illiquidum cum liquido nulla est compensatio.* MARTINI *Comm. ad Tit. 39. §. 1. n. 269. et Tit. 45. §. 12.*

E

§. 12.

§. 12. n. 34. *Ord. Iud. Sax.* de quo paucis hac praefatione exercitii cuiusdam disputatorii tractabo.

§. II.

Dubio caret, quod compensatio, quae est debiti et crediti mutui inter se contributio, Iure Rom. recentiore obligationem non demum *ope exceptionis* sed *ipso iure* tollat, ita ut non opus sit debitori, cui creditor ad idem obligatus factus est, ius compensandi et facultatem inde contra creditorem excipiendi a praetore impetrare, neque conuentione mutua cum creditore de hac re indigeat, verum ipso momento, quo creditor debitori suo idem debere incipit, eius creditum et actio pro concurrente summa extinguatur §. 30. *Inst. de Act. L. ult. C. de Compens.* et effectus solutionis utrimque incipiant: unde quod omnia compensatione solutum tanquam indebite solutum condici potest *L. 10. §. 1. D. de Compens. L. 30. D. de Cond. Indeb. FRANTZKIUS ad Tit. D. de Compens. n. 8.* Eadem praecepta in Germania quoque obtinere, eo minus dubium, quo magis compendiosa haec solutio aequitati naturali congrua est; cum dolo quis petat id, quod mox restitutus est: sicuti iam CAROLI M. tempore Germanos naturalia haec principia secutos esse, ex *Caroli M. Capitul. Lib. VII. cap. 224.* probauit et a dubio ex *Iure Sax. Prou. Lib. III. art. 12.* desumpto vindicauit SCHILTER *ad ff. Exercit. XXVIII. §. 16.* Antiqui autem iuris Romani fabulae de negotiis et actionibus bonae fidei atque stricti iuris distinctis, ac diuersus aut ipso iure ciuili, aut *ope exceptionis*, a praetore contra obligationem iure ciuili stricto adhuc inique durantem impetrandae, credita et actiones tollendi modus in Germania nunquam obtinuit.

§. III.

Quoniam autem compensatio factum supponit, unde mutuum debitum et creditum exortum: ideoque debitor, nihilominus coram magistratu conuentus, actorem compensatione repulsurus omnino teneretur, factum illud, et quod ius actoris inde mutuo credito nato extinctum sit, in iudicio allegare, adeoque exceptionem compensationis coram magistratu, qui eam variari nequit, deducere; cuius exceptionis fundamentum in facto

cto consistens, si negetur, reus, vti in caeteris exceptionibus, probare debet: Quo facto tamen non demum a tempore oppositae aut probatae exceptionis, sed statim ab eo momento, quo creditor debitori iterum obligatus existit, solutionis effectus compensatio habet per §. 2. Equidem IMPERATOR IVSTINIANVS voluit, *vt compensationes obiciantur, si causa, ex qua compensatur, liquida sit, et non multis ambagibus immodata, sed possit iudici facilem exitum sui praestare*, quod pluribus in *L. ult. §. 1. C. de Compensat.* legere poteris. Huius legis summulam *Corpus Iuris Glossatum* non solum hoc modo profert: *Debiti ad debitum admittitur compensatio. Fallit in tribus casibus, scilicet, quando debitum petitum est liquidum, exceptio autem obscura etc.* sed etiam exinde formatum est brocardicum: *illiquidi cum liquido nulla est compensatio*; vt hoc casu locus sit paroemiae Germanicae: *Geld vor, Recht nach.*

§. IV.

Verum enim vero haec *Lex ult. C. de Compens.* non hodie demum dubiis ansam dedit: nam, vt transeam *CVIACIVM Lib. VIII. Obs. XVI. ex L. 22. D. de Compens. et L. 3. D. de Tut. et ration. distr.* quas accipiemus, colligentem, ac si IMPERATOR nihil noui constituisset, varie de ipsa legislatoris voluntate, et ad quos casus pertineat, disputatum est. Sic quidam hanc legem restringunt ad casum, si reus, qui intentionem actoris negauit, conuictus tamen compensatione se tueatur. Audiendum vero reum esse censent, si intentionem actoris confitens compensationem obiciat: quia 1) alias posset aduersarius interim definire soluendo esse, et 2) posset debitum naturale esse, quod non actione, sed compensatione impetrandum, 3) praetereaque actorem ab onere probandi releuans ipse ab eodem releuandum esset, *vid. cum Glossa BRUNNEM. ad cit. L. ult. n. 7.* Verum, praeterquam quod in hac lege actoris intentionem confitenti conditio melior quam neganti concessa non appareat, atque huic exceptio compensationis absolute non sit denegata, adhuc rationes duae priores ex *BRUNNEMANNO* prolatae tam ad reum negantem quam confitentem spectant, et primae rationi per cautionem, secundae per conditionem indebiti *vid. §. 2. satisfieri* potest:

potest: postrema ratio autem aperte falsa et a re aliena est; sic porro ipse BRUNNEMANNVS *cit. loc. n. 8.* iterum cum *Glossa* totam rem committit iudicis arbitrio. Sane debitum litigiosum a reo intentionem actoris quoque negante in compensationem deduci posse, satis liquet ex *L. 8. et 16. §. 1. D. de Compens. L. 2. 5. et 6. C. eod.* quantumque temporis spatium apud Romanos indultum fuerit, ad exceptionem compensationis liquidam reddendam, facile colligere licet argumento a fisci causa favorabiliore ad causas priuatorum deducto ex *L. 46. §. 4. D. de Iure fisci*; cum bimestre spatium, ad hanc exceptionem contra fiscum probandam, reo concessum sit.

§. V.

Equidem *cit. Legis vlt. C. de Compens.* intentio huc redire videtur. Antiquo iure Romano compensationem tantum locum habuisse in iudiciis bonae fidei, plane autem non in iudiciis stricti iuris, sed in his ex constitutione MARCI eam demum admittam fuisse opposita exceptione doli, ex *§. 30. Inst. de Action.* palam est, et latius docet CUIACIUS *cit. loc.* quin IDEM ex *L. 4. 6. et 21. D. de Compens.* colligit, quod tandem inter prudentes confiterit, et ab IMPERATORE ALEXANDRO SEVERO *L. 4. C. eod.* atque postremo a IUSTINIANO *L. vlt. C. eod.* confirmatum sit, compensationem ubique ipso iure fieri. Caeterum exceptiones peremptoriae in iudiciis bonae fidei quodocunque opponi poterunt, quae in iudiciis stricti iuris ante litis contestationem proponendae et post eam probandae erant. Exaequata itaque compensandi facultate in bonae fidei et stricti iuris iudiciis, compensationis exceptio quoque in quouis iudicio quodocunque opponi quod posset, sequebatur. Ne tamen hoc iure nouo in protractionem litium abuterentur rei, voluit IUSTINIANVS *cit. L. vlt.* ut eiusmodi exceptionem, si non ante litis contestationem sed demum post eam in fine litis sit opposita, iudices hoc casu non attendant, sed *stricto iure* antiquo uti debeant, *alii iudicio compensationem reseruando, si ambagibus multis inmodata maiorem et amplioem exposcat indaginem, seu iuxta §. 30. Inst. de Action. si iure aperto non nitatur.* Haec verba quidem ad modum probandi compensationem necessario non pertinent, sed de qualitate

litate debiti compensandi ex futuro euentu dependente, adeoque incerta, possunt intelligi; quae etiam est sententia *L. 22. D. de Compens. et L. 3. de Tut. et rat. distr.* quas supra §. 4. ex *CVIACIO citavi conf. GOTHOFRED. ad cit. Leg. 3.* Quin licet IMPERATOR quoque simul ad ipsum exceptionem probandi modum respexisset: dubito tamen, num ambagibus litis obuiam iuerit; qui potius, ambigua et nimis indeterminata lege vago et illimitato arbitrio iudicium rem committens, incertitudini iuris et ambagibus ansam dedisse videtur.

§. VI.

Ista Romanae legis incertitudo indeque exsculpta Ictorum regula vulgaris eo minus commoda est foris Germanicis, quo minus compensationem ex Romano iure didicerunt Germani *vid. §. 2.* aut ex illo eam haurire opus est, atque quo magis fori Romani processus in multis nobis ignotus vel certe parum aptus est. Quam incertum praeterea in ipsis foris Germanicis sit, quid in continenti liquidum, quidue altioris indaginis, dixi *Dissert. de Exception. lit. ingress. impediens etc. §. 13.* Quousque itaque compensationis exceptio tanquam liquida obiici queat, aut tanquam illiquida ad aliud iudicium reiicienda sit, ex propriis principiis ipsius processus Germanici et secundum relationem ad eum procedendi modum, quo tractatur actio, cui compensatio obiicitur, erit diiudicandum. Videlicet I) si conuentio ab actore intentata summario processu, utpote cambiali, executiuo, alioque tractatur, compensatio quemadmodum admitti et summariter de ea doceri debeat, statuendum est ex indole cuiusvis harum causarum et summarii, quo quaelibet tractanda, processus qualitate ordinationibus processualibus cuiuslibet loci specialius determinata, atque pro modo reliquas exceptiones in his causis disceptandi. II) Quodsi actio ordinario processu examinetur, tunc quidem compensationis exceptio ante lit. cont. obiecta attendi non poterit, sed post eam reiicienda est, per deducta *cit. Diss.* Si vero III) in processu ordinario lit. contestationi ista defensio adnectetur, ea audienda est, siue reus actoris intentionem per omnia confessus fuerit, siue eam penitus negaverit,

verit, siue litem partim affirmando, partim negando contestatus fuerit, quocunque medio et modo solemniore probandi indigeat exceptio, aut quocunque probandi medio reus intra ordinarium terminum probatorium uti velit. *conf.* BEYER. *Delin. Jur. Civ. ad Pand. Tit. de Compens. post. 32. §qq.* CARPZ. P. I. *Const. VIII. Def. 13. et 14. n. 6.* Nulla enim subest ratio, unde haec exceptio deterior esse debeat aliis peremptoriis, cum tamen litem non magis remoretur. Hinc non solum de Iure Saxonico cum Notis ad STRAVCHII *Dissert. XVII. ad Ius Iustin. Thef. X.* sed etiam de processu communi ita tenendum est, utpote cuius principis dicta conueniunt. IV) Idem illud quoque obtinebit, licet quidem lit. contestationi subnexa non fuerit; attamen si de-nuo emergens ante sententiam, aut V) quidem post sententiae pronunciationem, sed in secunda instantia vi beneficii *Legis 4. C. de Tempor. appellat.* proponatur haec exceptio: utroque enim hoc casu ordinaria probatione eam deducere, nulla prohibet ratio. VI) Plane aliud est, si demum post rem iudicatam executioni compensatio obmoueat. Nam quae tunc exsurgunt controuersiae aut oggeruntur exceptiones ad instar processus summarii sunt expediendae; idque eo magis, quo maior columnandi suspicio nunc exoritur: quapropter reperenda sunt dicta *num. I.* Denique VII) etiamsi hoc et sub *num. I.* relato casu de exceptione compensationis summarie doceri nequeat, eaque alii iudicio referuerit et tandem per reconuentionem deducatur: nihilominus tamen effectus compensationis nunc demum probatae non ab hoc tempore, sed ex eo momento, quo creditum natum est, coepisse, aestimari debent *per §. 2. et 3.* Satis ex his constabit, quae sit virtus brocardici nostri, et quomodo haec regula vitietur; plura addere, instituti ratio non permittit: sed restat, ut exponam de negotio, cui praemittenda fuit haec praefatio.

§. VI.

Annus abhinc est, cum *programme de Sorite fallaci* commendarem simulque indicarem publicum exercitium disputatorium. Res successit feliciter, et instituti utilitate in imitationem laudabilem accensi sunt Iuuenes Nobilissimi Iurium Cultores

res ab industria, eruditione, quam ætas exigit, et probitate commendandi.

DN. IOANNES ERNESTVS REIMERS,
Halensis Magdeburgicus.

DN. IOAN. ANDREAS PFANNENSCHMID,
Quedlinburgensis.

DN. FRIDERICVS IVLIVS SPECKHVN,
Magdeburgensis.

DN. CHRIST. GVILHELM. KORNMANN,
Magdeburgensis.

DN. IOAN. AVGVST. FRAVENDORFF,
Custrin. Marchicus.

DN. IOANNES SAMVEL WILKE,
Züllichouienfis Silesiacus.

qui idem exercitium me praeside postularunt. Suasor his fu
vt ipsi occasione Institutionum Imperialium theses in chartam
conuicerent ex cathedra publica defendendas, in quibus eligen
dis libertatem concessi autoribus, quo facilius, pro viribus cu
iusuis, sit disputatio, non ostentandi, sed profectuum excolen
dorum causa in publicum prodeuntibus. Igitur per praesens se
mestre aestiuum quouis die Sabbathi post *horam primam pomeri
dianam* in Auditorio Iuridico, *auf der Waage*, disputabunt,
quos et quo per sortem assignato ordine recitavi: cuius negotii
initium erit Ieh. Iuu. die XIV. Iunii a. c. Quam ob rem PATRO
NI ET FAVTORES, vt sua praesentia animos Iuuenum egregio
rum magis accendant, ea, qua par est, obseruantia etiam atque
etiam rogantur. Dab. Halae Magdeburgicae die X. Iunii Anno
MDCCLXXXVIII.



THESES

THESES

Occas Proemii et Lib. I. Tit. I. usque ad VIII. Inst.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES ERNESTVS REIMERS

HALENSIS MAGDEBVRGICVS.

THES. I.

Non laudanda est iurisprudencia forensis, quae in conficiendis instrumentis publicis postulat inuocationem nominis diuini occas Recept. Imp. 1512.

II. Nulla praerogatiua officialium militarium ante ordinem ciuilem, nec huius ante illos ex Pr. Proem. Inst. probari potest.

III. Partitio Institutionum in quatuor libros magis ab Imperatore ex necessitate, quam animo deliberato facta est. Merito igitur negligendae sunt ineptiae commentatorum in hanc materiam.

IV. In scribendis legibus et codicillis recte prohibentur scripturae compendia, quae pariter fieri non solent in curiis et cancellariis.

V. Iustitia personae, quae a Triboniano definitur, plane ad ius ciuile non spectat et definienda ac tractanda potius est iustitia actionis, utpote quae est qualitas, secundum quam actio vel praeepta vel licita est.

VI. Sine lege actiones, neque bonae, neque malae, neque iustae neque iniustae sunt.

VII. Non satis illorum opinio fundata est, qui vnicum iuris praeeptum esse aiunt: *Neminem laede.*

VIII. Haec tria iuris praeepta: *Honeste viuere, neminem laedere, suum cuique tribuere*, non ad solam iurisprudenciam, sed et ad Theologiam et Philosophiam, quatenus ad beae beateque viuendum viam parant, pertinent.

IX. Infantes expositi, quorum parentes ignorantur, non spurii sed legitimi esse praesumuntur.

X. Seruus sine domino esse nequit: nec contrarium probatur, quod seruus hereditarius nullius sit in dominio.

XI. Manumissoris animus fraudandi creditores praesumitur ex re: qua propter sufficit, alienatorem scire, se soluendo non esse tempore alienationis, aut alienando non manere soluendo.

XII. Ius asyli praeter rationem extensum fuit.

THESES

THESES

Occas. Lib. I. ad Tit. IX. XII. Institutionum.

AB AVCTORE

IO. ANDR. PFANNENSCHMID

QVEDLINBURGENSI,

PVBLICE DEFENDENDAE.

THES. I.

De iure Romano patria potestas erat dominium Quiritarium in corpus et bona liberorum soli patri competens. De iure Germanico autem, principia iuris naturalis sectante, est imperium in liberos competens ob educationem et alimentationem. Qua de causa parentibus in liberos nil competit nisi modica castigatio, delicta vero magistratui relinquenda.

II. Ex his etiam patet, plures effectus patriae potestatis Romanae in Germania cessare.

III. De iure Germ. liberi a potestate patria liberantur simulac separatam instituunt oeconomiam, invito etiam patre, quod secus erat I. R.

IV. In Germania separatam oeconomiam liberi instituunt matrimonium contrahentes.

V. Vfusfructus parentum in bonis liberorum iure Germ. prouenit ex tutela. Errant itaque Icti ex iure Rom. illum deriuantes.

VI. Vfusfructus quippe Romanorum patrius est reliquus ex iure acquirendi patris per filium.

VII. Definitio matrimonii, quam Tribonianus in §. 1. Inst. de patr. potest. suppeditat, minus recta est; dicendum potius, quod matrimonium sit societas maris et foeminae sobolis procreandae mutuique adiutorii gratia inita secundum solennia legibus praescripta.

VIII. De iure Germ. ius connubiorum non est praerogatiua status ciuillis, sed quisque, siue liber siue seruus fuerit, verum ac constans contrahit matrimonium, nec obtinet distinctio Rom. inter connubium, quo ciues Romani, matrimonium, quo peregrini, et contubernium, quo serui gaudebant.

IX. Liberi matrimonium contrahentes de iure Nat. ex regulis decori parentum consensum impetrare tenentur, quae regulae legibus positiuus passim confirmatae.

F

X. Hinc

X. Hinc parentum consensum consistorium quandoque supplere potest.

XI. Castratus verum matrimonium inire non potest.

XII. Legitimatio de iure Rom. in fauorem patris primario introducta est.

XIII. Adoptiones et arrogationes in Germania raro occurrunt, cessantibus rationibus.

XIV. In vnione prolium nil nisi pactum parentum requiritur.

XV. Vnio haec, quam ICi quidam sub nomine adoptionis Germanicae venditant, vna cum adoptione Rom. antiquis moribus Germanicis ignorata fuit.

XVI. Plures modi Rom. soluendi patriam potestatem apud nos extra vsum sunt, et notandum venit axioma: cessante causa potestatis patriae, cessat et ipsa potestas.

XVII. Emancipatio ad certum actum expediendum; quam ICi quidam effinxerunt, plane nullius momenti est.

T H E S E S

Occas. Tit. XIII. ad XXII. Lib. I. Instit.

PVBLICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDERICO IVLIO SPECKHVHN

MAGDEVRGENSI.

THES. I.

Tutela est munus publicum.

II. Diuiditur I. R. in testamentariam, legitimam et datiuam. Sed I. G. lis de hac diuisione frustranea est.

III. Tutor testamento datus confirmatione indigens I. R. pro testamentario est habendus, non pro datiuo I. G. nihil refert.

IV. Posthumis testamento tutor dari potest.

V. Valde controuertitur, quis posthumus dicatur? Sunt, qui eum dicunt posthumum, qui post testamentum conditum nascitur: et sunt, qui eum posthumum dici contendunt, qui post defunctum patrem in lucem editur, quibus assentior.

VI. Tertius proprius sine libertate testamento tutor datus tacite directam accipit libertatem I. R.

VII. Tu.

VII. Tutor Rom. datur personae, non causae: secus se habet in Germ. *mit dem Vormund.*

VIII. Deficiente testamentario tutore, proximiagnati ad tutelam vocantur.

IX. Intuitu tutelae quis pro parte testatus, pro parte intestatus decedere potest.

X. Quo ordine defertur hereditas, eodem etiam ordine legitima tutela.

XI. Legitima parentum tutela Iur. Rom. et Germ. non est eadem.

XII. Maximam et mediam capitis deminutionem passi personae esse desinunt I. R. Sed I. G. capitis deminutio exigui est usus.

XIII. Dignitatis priuatio non inducit capitis deminutionem.

XIV. Minores XXV. annis a tutela datua et legitima prorsus excluduntur. Quod contra in testamentaria.

XV. Magistratui tutoris datio, quae ex L. Atilia descendit, non competit, nisi speciali lege concessa: I. G. ordinariae iurisdictioni, etiam inferiori, regulariter cohaeret.

XVI. I. R. post pubertatem tutores rationes reddere tenentur: I. G. quotannis.

XVII. Tutoris autoritas non est necessaria, si pupillus conditionem suam reddit meliorem.

XVIII. Pupillus contrahens sine tutore non obligatur ciuilitur, licet naturaliter quandoque.

XIX. Contractus bilaterales a pupillo sine tutore initi sunt claudicantes: quos, si pupillus velit impleri, ipse ut impleat, necesse est.

XX. Autoritatem tutor interponere nequit, si inter ipsum et pupillum aliquid gerendum.

T H E S E S

Occas. Tit. XXII. et seqq. usque ad f. L. I. Inst.

PUBLICAE DEFENDENDAE

AB AUCTORE

CHRIST. GVILIEMO KORNMANN

MAGDEBURGENSI.

THES. I.

Venia aetatis iuri N. conueniens, eamque concedendi facultas est per-
nes Germ. principes? conf. ILL. DN. a LYDEWIG. *opusc. de*
aetat. legit. pub. et mai. c. 9. proll. u.

F 2

H. Ca.

II. Capitis deminutio, licet maxima, I. G. tutelam minime tollit. Quamvis, ad talem vel similem poenam, capitis deminutionem I. R. efficientem, condemnatus vt remoueat, alia suadeat ratio.

III. I. G. finita tutela tutor pro administratione praemium petit iure perfecto.

IV. I. G. cessat distinctio inter puberes et maiores, quos communi vocabulo appellamus: *die zu ihren (männlichen) (voigtbaren) Jahren gekommen*. Loco tutorum et curatorum I. R. distinctorum I. G. vltimur non sine ratione vocibus: *Mundius, Vormund, Gerhaber*, synonymis.

V. I. G. tutor non tenetur satisfacere vel alio modo cauere.

VI. Causae excusandi a munere tutelae I. R. non inepte diuiduntur in necessarias et voluntarias. Sed I. G. distinctio haec cessat.

VII. I. G. omnes causae excusandi simul proponendae.

VIII. I. G. tutelae iam susceptae, non ex numero, sed ex onere, excusant a noua subeunda.

IX. I. G. litterarum expers non omnino vacationem meretur a munere tutelae.

X. I. G. milites superioris ordinis volentes ad tutelam admittendi.

XI. I. G. marito ipso iure cura vxoris defertur. *Er wird ihr ehe-licher Voigt.*

XII. Curator mulieris est improprie sic dictus.

XIII. I. G. non singulare ius est, quod mulieres ad accusationem suspecti admittantur. Ius enim standi in iudicio iis iure ordinario competit.

XIV. I. G. non tenetur tutor ad confirmationem iudici se offerre ante citationem, nec ideo fit suspectus. Multo minus incumbit illi damni, hac mora bonis pupilli illati, restitutio.

XV. I. G. Magistratus in arbitrio est, confirmationem tutori dare vel denegare. Et confirmationem efflagitans, suspectus est.

XVI. I. G. tutor remotus, licet ob dolum, non tamen fit infamis. conf. THOMAS. *not. ad ff. tit. de his qui notantur infamia*. Et formula, quam in foris G. sententiae adicere solent: *seiner Ehren unbeschadet*, superflua est.

THESES

Occaf. Tit. I. et II. Lib. II. Inſtit.

QVAS DEFENDET

AVCTOR

IOAN. AVGVSTVS FRAVENDORFF,

CVSTRIN. MARCHIVS.

THES. I.

Ad res communes, quarum vsus omnibus hominibus a natura concessus, cum Imperatore nostro et Grorïo littora maris sunt referenda, immo et mare ipsum, Seldeno frustra refragante.

II. Cenotaphium non est locus religiosus.

III. Vfus doctrinæ de rebus diuini iuris exiguus inter protestantes aut plane nullus est.

IV. In occupatione tanquam attributum essentialè requiritur corporalis adprehensio.

V. Seruitutem gentium iuri siue naturæ non contrariam esse, iudicamus.

VI. Male a commixtione pecoris ad frumentî commixtionem argumentatur Tribonianus.

VII. B. F. possessor fundi fructus, perceptos sibi acquirit: extantes nondum vsucaptos verus sibi vindicat dominus.

VIII. Qui fundum alienum m. f. possedit, fructus restituit et perceptos et quos percipere dum potuisset neglexit.

IX. Theſauri acquisitio tam ad inuentionem quam ad accessionem I. R. refertur.

X. Res incorporales tradi non possunt.

XI. Res corporales sunt vel mobiles vel immobiles. Classi posteriori accensendæ res vsui perpetuo et certo loco destinatæ, e. g. *eiſern Vieh* etc.

THESES

Occas. Lib. II. Inst. a Tit. III. ad IX.

AB AUCTORE

IOANNE SAMVELE WILKE

ZÜLLICHOVIENSI - SILESIACO,

PVBLYCE DEFENDENDAE

THES. I.

Seruitutes rusticae et urbanae a praediis dominantibus nomen trahunt.

II. Praedia ipsa vero non a loco, sed ab usu dicuntur.

III. Seruitus oneris ferendi, qua paries a domino fundi seruiantis reficiendus, iure Rom. anomala, iure G. talis non est.

IV. Seruitus personalis est, ubi fundus seruit personae.

V. Vusufructuarius vitur re uti est: hinc eam immutare nequit.

VI. Resoluto iure usufructuarii resoluitur ius eius, cui usufructus cessus.

VII. Minus habet, qui usum, quam qui usufructum habet.

VIII. Habitatio plus est quam usus aedium, minus quam usufructus.

IX. Vsuceptio introducta est primario ad certitudinem dominiorum.

X. Praescriptio potius in negligentiae poenam concessa videtur.

XI. Res sacrae et religiosae contra iuris Rom. principia Germ. iure recte usuceptiuntur.

XII. Praescriptionem immemoriam tanquam ens obscurum merito reiicio.

XIII. Donatio perperam ad modos acquirendi dominium ciuiles refertur.

XIV. Acceptatio expressa donatarii ad donationis valorem haud requiritur I. R. recentiore et G.

XV. Mortis causa donationes veteribus Germanis plane fuerunt interdictae.

XVI. Fundum dotalem maritus I. G. valide alienat, cessante ratione Romana.

XVII. Pignus recte definitur per ius in re debitoris creditori concessum in securitatem crediti.

XVIII.

- XVIII. Peculia Romana vix videntur applicabilia in Germania.
 XIX. Multum interest inter acquisitionem R. per seruos et G. per homines proprios.
 XX. Testamenti factio Germanis olim prorsus fuit ignota.

THESES

Occaf. Tit. X. vsque ad XIV. Lib. II. Inst.

PUBLICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDER. WILHELM. BRANDHORST

POTSDAM. MARCH.

THES. I.

Testamentum est vltima voluntas legitime declarans heredem directum.

- II. Sed in Germania Testament etiam deuorat codicillos.
 III. Quemadmodum quoque *Erbe* non raro indigitat quemuis, qui occasione mortis alicuius aliquid lucratur.
 IV. Testamenta non sunt Iuris Naturae.
 V. Imaginaria est acquitas atque pietas, ex qua nonnulli testamenta commendant: nec obit. Iesaiæ cap. XXXVIII. vers. I.
 VI. Testamenta sunt pestis Germaniae.
 VII. Seruis Germanicis facultas testandi non omnino deneganda est.
 VIII. Hinc testamenta eorum, qui apud hostes sunt, valebunt citra fictionem iuris postliminii et Legis Corneliae, et licet tales sint serui.
 IX. Iure Romano nemo decedere debet pro parte testatus et pro parte intestatus: quod Iur. Germ. nihil noui est.
 X. Seruus, qua talis, in Germania heres esse potest, et hereditatem sibi acquirit.
 XI. Heres solus in re certa institutus non statim totam hereditatem nanciscitur in Germania.
 XII. Valet heredis institutio in diem iure fideicommissi.
 XIII. Contenta *Legis 88. §. fin. D. de legat. II.* ad testamenta Germanica admodum apta sunt: indeque ad effectum codicillorum euentualium absolute necessaria non est clausula codicillaris.

THESES

THESES

Occas. Institut. Lib. II. Tit. XV. XIX.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IO. ANDR. PFANNENSCHMID

QVEDLINBVRGENSIS.

THES. I.

Directe substitutus nihil accipit, si heres priore loco institutus hereditatem ipse adeat.

II. Fideicommissarie substitutus tunc demum accipit hereditatem si heres priore loco institutus eam adeat.

III. Directe substitutus non patitur detractionem Falcidiae, bene tamen fideicommissarie substitutus.

IV. Quoties testator ultra annos pubertatis substitutionem extendit, toties hoc respectu fideicommissum subesse praesumitur.

V. In substitutione militari filius post pubertatem decedens Trebellianicam non detrahit de bonis a patre acceptis substituto restituendis.

VI. De I. R. solus pater sub praetextu et forma substitutionis filio condere poterat testamentum. De I. G. nulla ratio superest, quare non etiam mater id facere possit.

VII. Pater pupillariter substituendo duplex quasi condit testamentum.

VIII. Clausula derogatoria et iuratoria vltimae dispositioni inserta non impedit, ne testamentum posteriore rumpatur: nemo enim sibi ipsi legem dicere potest.

IX. Testamentum solemne maximam partem nuda reuocatione ante decennium elapsum reuocari potest, scilicet quoad legata et fideicommissa; imo et heredis institutio directa aliquando etiam minus solemni reuocatione maximam partem eueri potest vi fideicommissi.

X. Testamentum inofficiosum est, in quo is, cui debetur legitima, ab ea prorsus exclusus est per exheredationem rite, sed inique factam.

XI. Querela inofficiosi non datur, si aliud remedium competit.

XII. De I. R. heredis institutio directa erat essentiale testamenti sine qua subsistere non poterat. In Germania dicitur etiam *Testament*, et valebit dispositio vltima, in qua heredis institutio omissa.

THESES

THESES

Occas. Tit. XX. usque ad f. Lib. III. Instit.

PVBLCICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDERICO IVLIO SPECKHVHN

MAGDEVRGENSI.

THES. I.

Verborum significatus, circa quos enucleandos constituendosque iuris architectus Tit. de legatis maximopere est sollicitus, I. G. parum aut plane non attendendi, sed linguae Germ. indolis potissimum habenda est ratio.

II. Legato debito creditori, ius debitum petendi extinguitur, si creditori legatum solutum sit.

III. Principi ex testamento imperfecto legata non debentur: cuius rei ratio tamen vera non est, quam profert §. *su. Inst. quib. mod. testam. infirm.*

IV. I. G. in quibusdam locis vxori dos praelegari non potest.

V. Caprius atque Iudaeis I. G. valide legari debet.

VI. Inutilis ac nullius plane momenti est eorum sententia, qui in re coniunctis non iuri accrescendi, sed iuri non decrescendi locum esse asserunt.

VII. Exiguus est usus practicus dispositionis Instit. quod, re aliena legata, legatario incumbat probatio, defunctum scivisse, se rem legare alienam.

VIII. Quae de pretiis feruorum tit. de lege Falcidia disponuntur, falso applicantur ad equos in funeribus nobilium duci solitos.

IX. Valer fideicommissum heredi praesentis impositum, etsi hic testatori non assenserit vel contradixerit.

X. Licet de testamenti validitate iudicio agatur: legatarius tamen legatum petere potest. *L. f. Cod. de Her. pet.*

XI. Heredes ab intestato valide grauari possunt fideicommissio.

XII. Liberi vel parentes fideicommissio onerati et legitimam et Trebellianicam deducere nequeunt I. R. visu fori G. certo respectu queunt.

XIII. Rogatio testium in codicillis non est necessaria; sed sufficit, si illi fortuito interuenerint.

XIV. Codicilli etiam foeminis testibus adhibitis subsistunt.

G

THESES

THESES

Occas. Lib. III. Inst. tit. I. usque ad XIV.

CONSCRIPTAE

QUARVM DEFENSOR ERIT

AVCTOR

CHRIST. GVILIEMVVS KORN MANN

MAGDEBVRG.

THES. I.

Frustra IVSTINIANVS *lib. III. Instit. tit. 2. §. 3.* vindicem naturalis aequitatis se iactat in eo, quod successione, masculis antea tantum indultam, cum foeminis quoque communicauerit. Meo iudicio eadem hic fauoris ratio erga sexum foemininum, quae supra *lib. I. tit. 6. §. 7. et tit. 7. cod. lib. fuerat* in manu mittendos. I. G. igitur prudentissime huc vsque in quibusdam locis foeminae successione in bona hereditaria et feudalia interdicuntur.

II. In successione ab intestato sedulo distinguendae sunt quaestiones: quis succedat, et quomodo succedendum.

III. I. G. inter collaterales quoad quaestionem: *quis?* simpliciter quondam obtinuit et in quibusdam locis adhuc obtinet regula: *proximior excludit remotiorem*, cum declaratione: *halbe Geburt schreitet fort in ein ander Glied*: quoad quaest. *quomodo?* in capita semper valuit successio, *so viel Mund, so viel Pfund.*

IV. Ius repraesentationis est singulare beneficium contra iuris ordinarii regulam fratris defuncti liberis ideo concessum, vt personam patris praemortui repraesentent, et hoc modo aequè propinqui fiant patris defuncto ac fratres eius adhuc superstites.

V. Inde nepotes inter se soli concurrentes iure ordinario auo succedunt, nec opus eis est beneficio repraesentationis.

VI. I. G. cessauit repraesentationis figmentum.

VII. I. G. unilateralibus magis faacet quam R. disponit enim ita de his: *halbe Geburt schreitet fort in ein ander Glied und nimt Erbe in dem nächsten Grad.*

VIII. Est casus in quo quis ex duplici et adgnationis et cognationis iure, duplicem quoque hereditatis sibi vindicare potest partem.

IX. I. G. priuati recte ineunt pacta successoria.

X. Inde

X. Inde et I. G. simplici pacto hereditatis cuiusdam iuri nuncium mittere licet.

XI. I. G. pacta et contractus non distinguit.

XII. I. R. recte se habet diuisio contractuum in reales, verbales litterales et consensuales. Nec Caius in Instit. dissentit. conf. PER ILL. DN. a LVDEWIG. *Diss. de nexu script. et subscript. c. 1. §. 5.*

XIII. Doctrina DD. iuris R. de gradibus culparum est nimis obseura, nec in foris applicari potest ad facta. Ideoque I. G. ius nat. in hac quoque materia sectantes huius doctrinae indigestum chaos nil moramur. conf. THOMAS. *dissert. de gradibus culparum in contractu praest. c. 2. §. 19.*

XIV. Contractus nominati formulam actionis in albo praetoris praescriptam habebant sibi propriam praeterquam quod illis speciale nomen sit indultum. Qua propter contractus aestimatorius nequequam ad illos referendus. I. G. nihil ex hac differentia pendet.

XV. Contractus, ad quos perficiendos neque traditione rei, neque verborum, neque litterarum solemnibus opus est, sunt bon. fid.

T H E S E S

Occas. Tit. XV. et seqq. usque ad Tit. XXI. Inst. Lib. III.

DEFENDENDAE.

AB AVCTORE

IOAN. AVGVSTO FRAVENDORFF,

CVSTRIN. MARCHICO.

THES. I.

Translatio dominii in mutuo obtinet: quicquid regerat Salmasius.

II. Si commodatarius rem commodatam alienauerit, aduersus possessorem b. f. I. G. commodanti rei vindicatio negatur: in variis locis recentiori iure conceditur.

III. Iurisprudencia Rom. formularis innumeris litibus aditum ad fora veterum praecelsit, quae in hodiernis vbique obuiac sunt.

IV. Absentibus iur. Germ. valide stipulamur.

V. Neque stipulatio inutilis redditur, si stipulans eius sit iuri subiectus, a quo stipulatur.

VI. In materia stipulationum multas steriles argutias et subtilitates congestit Tribonianus in Germania nullum usum habentes.

VII. Nullum iuramentum contra LL. valet de ratione naturali.

VIII. I. G. inter mercatores commendans pro mandante habetur :
nisi expressa accesserit protestatio.

IX. Personalis exceptio debitoris fideiussori non prodest.

T H E S E S

Occas. Lib. III. Inst. a Tit. XXII. ad XXVII.

QVAS PVELICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES SAMVEL WILKE

ZÜLLICHOVIENSI · SILESIACVS.

T H E S. I.

Cambium tam proprium quam improprium negotium recentius est.

II. Cambium proprium continet negotium ex permutatione et mandato mixtum.

III. Implementum in contractibus consensualibus ad consummationem contractuum, non ad obligationem demum efficiendam pertinet.

IV. Contractus consensuales omnes sunt bonae fidei.

V. Arrha ad emtionis venditionis substantiam non requiritur, modo de pretio conuentum sit.

VI. Neque pecunia parata (*baar Geld*) desideratur, sed de pretio fides haberi potest.

VII. Non emtionem venditionem, sed permutationem contrahit, qui in folle pecuniam dat.

VIII. Pluribus eadem res locata illi assignanda est, cui prius tradita est.

IX. Vix est vt obueniatur societas vniuersalis.

X. Inualida est societas, qua alter solus omne lucrum, alter solus omne damnum ferre debet.

XI. Nimum frequentes et vrgentes persuasiones non consilii sed mandati instar censendae.

XII. Licet remuneratio indeterminata promissa, quam vocant honorarium, a iudice in Germ. id potest determinari.

T H E S E S

THESES

Occas. Tit. XXVIII. XXIX. et XXX. Lib. III. Instit. Instit.

ASSERET AVCTOR

IOAN. FRIDERICVS SCHVLTZ,

STENDAL.

THES. I.

Contentiosissimae lites in obligationibus, quae quasi ex contractu oriuntur, meo quidem iudicio, faciles ad componendum; inanes tamen I. G.

II. Quasi contractus sunt negotia, quae duas inuicem partes, alteram ex facto, alteram ex lege obligant, ob causas honestas.

III. Istaе autem causae vel ex aequitate descendunt, vel ex utilitate. In utramque lex vel fingit consensum, vel praefumit.

IV. Negotiorum gestionem etiam decreta naturae volunt: neque parum interest reipublicae, absentium rebus prouideri.

V. Censu negotiorum gestionis aestimanda etiam administratio in rebus pupilli aut prodigi, licet praesentis, at sine curatore.

VI. Ius Germanicum non indiget schemate quasi contractus in tutelis.

VII. Facti errore solutum repeti potest, ut indebitum: idemque in ignorantia iuris ubi patrimonium deminutum.

VIII. Verus videtur esse contractus in recepto, quo cauponae tenentur, nautae, cet.

IX. Ius G. non patitur lites excrefcere in duplum aut quadruplum; neque piis causis in hoc aliquid indulget singulare.

X. Iure G. seruus obligationem acquirit domino ex mandatis.

XI. Inuito creditori solucrc potest extraneus.

XII. Neque dubitandum, quia etiam pro inuito debitore solui queat.

XIII. Nouante muliere, redditur obligatio prior: sed pupillo, exspirat prorsus.

XIV. Iure G. seruus expromissoris partes valide sustinet.

XV. Ius G. opus non habet Aquilianae stipulationis lusu: sed tollit obligationem, *die Quittung*.

XVI. Iure G. sufficere deberet in nouatione: *wenn jemand, die Schuld auf sich zu nehmen, versprochen.*

THESES

Occas. *Institut. Lib. IV. Tit. I. V.*

QVAS PVBLCICE DEFENDET

IO. ANDR. PFANNENSCHMID

QVEDLINBURGENSIS.

THES. I.

Delictum in statu reipublicae est factum lege positiva poena notatum.

II. In Germ. omnia delicta pro publicis reputantur, partim quod in C. C. C. omnibus delictis publicae poenae dictatae sunt; partim quod ex I. Can. processus inquisitorius receptus, ubi iudex ad probabilem denunciationem ex officio causam cognoscere tenetur.

III. Divisio furti in manifestum et nec manifestum in Germania exigui usus erit; effectus enim huius divisionis, poena scilicet priuata, hodie cessat.

IV. Scrutatio domestica in Germania non nisi iussu iudicis fit. Secus erat apud Rom.

V. Is, qui furtum concepit, *der Dieber-Heeler*, ordinaria poena furti plectendus, si tantum ex furto participauerit, quantum ad illam requiritur.

VI. Si forsan furtum a parentibus et liberis, item coniugibus, sit commissum, poenae ordinariae locus non est, atque ultra ergastulum non procedendum; immo magistratus ex officio in has personas non inquirit.

VII. Cum in Germania poenae priuatae Roman. receptae non sint: laesus sola damni reparatione contentus esse debet.

VIII. Et hinc etiam sequitur, totam doctrinam de diuersis capitibus Legis Aquiliae ad nos applicari haud posse.

IX. Actio iniuriarum aestimatoria tamen in Germania in quibusdam locis ex I. R. recepta est; in quibusdam vero abrogata.

X. Qui iniuriam sibi illatam ad animum non reuocauit, ei non datur actio.

XI. Immo si quis iniuriam ad animum reuocauerit, ex postfacto vero signis perspicuis remissionem iniuriae declarauerit, actio iniuriarum remissa censetur.

XII. Si iniuriatus cum iniuriante ante motam actionem in gratiam redierit, magistratus leuiorem imponit poenam.

THESES

T H E S E S

Occaf. Tit. VI. usque ad Tit. IX. Lib. IV. Instit.

PVBLCICE DEFENDENDAE

AB AVCTORE

FRIDERICO IVLIO SPECKHVHN,

MAGDEBVRGENSI.

THES. J.

Iur. Germ. actio recte definitur, quod sit medium coram magistratu persequendi id, quod sibi debetur.

II. Frustraneus est interpretum labor sese torquentium in inueniendo illo casu, cuius Imperator §. 2. *Instit. de Action.* mentionem iniicit; cum ipsa actio negatoria hic innuatur.

III. I. G. omnes actiones sunt publicae autoritatis.

IV. Actiones dupli, tripli, quadrupli in G. foris cessant.

V. Actioni in factum ex iureiurando extraiudiciali in Germania vix aliquis vsus est.

VI. Idem de constituta pecunia dicendum.

VII. Inter actiones bonae fidei et stricti iuris haec etiam erat differentia, quod illae ab arbitris; haec vero a iudicibus essent discutiendae, Conf. ILL. DN. HEINECCII *Antiq. R. tit. de act. I. G.* nullus huius distinctionis actionum est vsus. THOMASIVS *Annot. ad Instit. lib. IV. tit. 6.*

VIII. Arbitrariae et b. f. actiones non sunt vnus eiusdemque naturae.

IX. Omnes species actionum b. f. *tit. VI. §. XXXVIII.* esse propositas, probari haud poterit.

X. Actio stricti iuris in effectu facile in actionem b. f. conuerti poterat I. R.

XI. I. R. quondam plus petens causa cadebat. I. G. nihil plus petitio efficit, quam vt actor in expensas frustra alteri causillatas condemnatur, saluo praeterea ipsi manente iure.

XII. Fundamentum beneficii competentiae est humanitas lege civili firmata.

XIII. Liberi ac serui delinquentes propria conuentio ne tenentur I. G. Cessant igitur moribus noxales actiones.

XIV. Exceptionis SCfulti Macedoniani in Germania nullus est vsus. Vid. ILL. DN. a LVDEWIG *Opusc. de Mutuo Diss. VII.*

THESES

T H E S E S

Occaf. Lib. IV. Inft. tit. X. usque ad XIV. incl.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

CHRIST. GVILIELMVS KORNMANN,

MAGDEVRG.

THES. I.

Iur. Rom. ipfius domini praefentia in iudicio requirebatur, conf. ILL. DN. HEINECCI *Antiq. R. lib. 4. tit. 10. § 2.* quod I. G. fecus, frustra dominium litis fuadente Reff. Imperii, vid. ILL. DN. BOEHMERI *Iur. Eccl. L. I. T. 38. §. 43.*

II. I. R. procurator differebat ab actore. Formula inde etiam in fora G. peruenit, quod tutor folus non conftituat procuratorem, fed actorem.

III. I. R. ad dominium litis transferendum requiritur titulus, quem fuppeditat mandatum, et modus, qui accedit ex litis conteftatione. I. G. procurator tantum indiget mandato.

IV. Satisfatio *Lib. 4. Inftit. tit. 10.* fumitur pro omni cautione.

V. I. R. recte liberatur a fatisfatione de iudicio fifti poffeffor rerum immobilium, licet dominium eius fit reuocabile, vel actor de ipfis iis bonis reo litem mouerit. I. G. cautio ceffat in poffefforibus rerum immobilium.

VI. In prorogata iurisdictione prorogans non tenetur ad cautionem de iudicato foluendo.

VII. Iudex nimia cautione onerans tenetur ad id, quod intereff.

VIII. Cautio de lite profequenda fuperflua eff.

IX. I. Can. actiones rei perfecutoriae ex delicto contra heredes dantur, licet nihil exinde ad illos peruenerit.

X. Actiones, quae alias morte expirant, conteftatae ad heredes tranfeunt.

XI. I. R. exceptiones in fenfu ftrictiffimo funt appendiculae ex I. N. defumtae, a praetore formulis actionum ad iudicem pedaneam datis adiectae, ad elidendam duram actionem ciuilem.

XII. Inde actionibus b. f. exceptiones ipfo iure inefse dicuntur. Contra: in actionibus ftricti iuris exceptiones funt facti; quae tamen alio refpectu dicuntur *iuris*.

XIII.

XIII. In sensu generali tam secundum Ius Rom. quam Germ exceptiones sunt defensiones rei per allegationem causarum intentionem actoris excludentium. conf. DN. PRAES. *diff. de vera indole except. legit. ad caus. §. 5.*

XIV. I. G. omnes exceptiones simul in primo termino proponendae.

THESES

Occas. Tit. XV. usque ad Tit. XVII. Lib. IV. Inst.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOAN. AVGVSTVS FRAVENDORFF,

CVSTRIN MARCHICVS.

THES. I.

Possessio non est species iuris in re.

II. Possidentes merito praedicantur beati.

III. Reus iuramentum calumniae detrectans seu confessus et convictus condemnari potest.

IV. Qui responso collegii iuridici nixus causa casit, in expensas condemnari regulariter nequit.

V. Iuramentum advocatorum de iustitia causae hodie non requiritur, nisi in appellatione.

VI. Inter remedia coercendi temere litigantes non vltimum locum occupat pecunia, vulgo, Succumbenz *Geld*, dicta.

VII. Damnatus ob dolum in contractibus aut delictis in Germania non statim fit infamis.

VIII. Processus inquisitionalis in fora Germanica introductus accusatorio est praefendus.

IX. Proverbum: *Wo kein Kläger, da ist kein Richter*, hodie ad civiles processus est restringendum.

H

THESES

THESES

Occaf. Tit. XVIII. Lib. IV. Inst.

QVAS PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES SAMVEL WILKE,

ZÜLLICHOVIENSI - SILESIACVS.

THES. I.

Ob publica crimina quilibet iure Rom. ex populo agere poterat.

II Et solenni quidem accusatione, cum inscriptione in crimen coniuncta.

III. Germ. iure iudicia publica sunt tractatio de criminibus publicis eorumque vindicatione a magistratu criminali peragenda.

IV. Processus accusatorii multis quippe difficultatibus obstructi, hodie sunt rariores in Germ.

V. Frequentiores vero et receptiores inquisitorii.

VI. Omnibus criminibus hodie in Germania publica poena est constituta.

VII. Homicidia in dolosa, culposa et casualia diuiduntur.

VIII. Homicidium commissum ab eo, qui in relicta, licito modo, licito loco et tempore versatus, non nisi casuale est.

IX. Vna ex his circumstantiis deficiente, in culposum statim degenerat homicidium.

X. Huc quoque medicorum homicidia culposa refer, pro modo culpae admittae punienda.

XI. Assassinium committens vti latro rota puniendus est.

XII. Ius canonicum *c. 1. de homicid. in 6to* non eosdem sub assassinis intelligit, quos vulgo ita dicunt.




IV.
PROGRAMMA IURIDICVM
DE
I V S S V P A T R I S
IN
CONFERENDIS STUDIORVM
SVMTIBVS
RATO VEL IRRITO

ad L. 50. D. Familiae herciscundae

PROGRANNA IURIDICA
IV
ISSVPARIS
IN
CONFERENDIS STUDIORUM
SYMPTIVS
RATO VEL IRRITO
ad L. de D. Iustitiae for. for. for.





Q. D. B. V.

§. I.



ricas inter familiae herciscundae iudicium impediens maxime referenda est collatio: siquidem nunc de personis ipsis ad conferendum inter se obligatis, nunc de eo, quod conferendum, nunc denique de modo conferendi dubia non leuia solent exoriri. Non permittit praefaminis, quod meditor, modulus, ut totum negotium expediam: sed animum saltem advertere licet ad vnicam quaestionem circa obiectum collationis occurrentem. Vulgatum quippe omnibusque ad literarum studia animum appellentibus iucundum aequae ac vtile est iuris axioma, *quod sumtus studiorum collationi non sint obnoxii*. Sed gaudium ex regula hac gratissima statim excipit tristis nuncius tristioris inter alias restrictionis, *nisi pater hos sumtus filio imputari voluerit*. Quem admodum vero non desunt, qui aequitatis ratione ducti ex parte hanc restrictionem temperarunt, inter quos nominandi sunt STRYKIVS *Tr. de Success. ab intestato Diss. XI. c. III. §. II. et 18.* STRUVIVS *Exercit. XXXVII. thes. 30.* BEVERVS *Delin. Jur. Cro. ordin. Pand. Tit. de Collat. pos. 14. ad 20. et ab his citati*: ita occasionem dederunt *de iussu patris in conferendis studiorum sumtibus rato vel irrito ad L. 50. D. Famil. hercisc.* plenius sed brevibus exponendi.

§. II.

Sane certum satis est, quod *collatio*, de qua hic tractamus, sit *actus*, quo *descendens heres lucrum a viuo parente acceptum in eiusdem hereditatem recte diuidendam cum descendente coherede communicat*.

§. III.

Neque ambigendum est, siue rei indolem ex naturali ratione ipsa siue ex Ciuili Iure aestimes, quod fundamentum collationis sit studium aequalitatis inter liberos conseruandae. Cum enim parentes aequaliter amare liberos praesumantur, ita eorum voluntas saltem praesumenda est, de lucris, quae alter a viuo parente accepit, in hereditatem diuidendam inter se conferendis: nisi vel diserte aliud praeceperint, vel aliunde de remissa conferendi necessitate constet; siquidem etiam in hac causa specialior et fortior praesumptio elidit generaliore et debiliorem.

§. IV.

Vti vero idem est collationis fundamentum, siue in *praesumpto* aequalitatis conseruandae *studio* collocetur, siue *studium* hoc *verbis declarauerim* parentes: ita ad intelligendum facile est, quod vtroque casu *collatio* non pertineat ad ea, quae liberis a parentibus perfecto iure debentur, et exinde iis sunt praestita; quod non solum ex §. 3. et ex definitione ipsa §. 2. liquet, cum nullum talia contineant lucrum, verum etiam indigat IMPERATOR L. 21. C. de Collat.

§. V.

Porro ex his recte colligitur, quod in *alimentationem* et *educationem* impensa, utpote a parentibus debita, *collationi* subiecta non sint STRYK *cit. Diss. XI. c. IV. §. 17.* Quanquam enim ex Naturali Iure de perfecta parentum in statu naturali *viuentium obligatione* erga liberos ad hos alendos et educandos *dubitaretur*: certo tamen certior est perfecta ista parentum in vtriusque *sexus liberos obligatio* ex Iure Naturali ad rempublicam applicato. Quodsi enim *contrarium statuere velis*, aut *liberi fierent oneri reipublicae* ab hac alendi, aut *pereundem iis esset*, aut certe, licet vitam tolerarent misere, *inertissimi adolescerent*,
neuti-

neutiquam boni ciues euasuri: quae singula tamen reipublicae salutis, supremae illius legi, plane aduersantur. Tantum ergo abest, vt in reipublica alimentatio et educatio a mero parentis arbitrio pendere possit, vt potius ad partes summi imperii et hinc ad magistratum pertineat, suam hac in re interponere auctoritatem, si parentes sua abutantur potestate, qui ita ad officium suum sunt redigendi, vt pro ratione dignitatis, et facultatum, pro liberorum numero ipsaque horum indole, alimentatione et ad rationabile vitae genus educatione rite fungantur. Minime tamen adeo iniquam putes parentum conditionem, vt sub hac specie prauis liberorum cupiditatibus ad fruges consumendos solum compositorum, vel peruersae ambitionis stimulo actorum magna et quae ultra vires sunt stolide molientium, hinc luxuria et luxu suos ad incitas redigentium, indulgeam: sed modus sit etiam his in rebus tam quoad alimentorum quantitatem, quam quoad vitae genus eligendum; qua in re primae omnino debentur prudenti parentum arbitrio aut subordinato reipublicae pro vera eius salute iudicio. Exaduerso si parentes ipsi educationem liberorum imprudenter instituerint, eos vitae generi, ad quod inepti sunt, addixerint, luxui et luxuriae indusserint, prauis suis exemplis liberos ad vitia accenderint: procul dubio habent, quod sibi circa impensas nimias in liberos erogatas imputent.

§. VI.

Priscorum quidem Romanorum parentum non eadem potuit esse obligatio, stante immensa patria potestate ius vitae et necis continente. Postquam vero moratior Philosophia inualuit et mutata sub IMPERATORIBVS Iurisprudencia, Romanos naturalia iura §. 5. exposita secutos esse, satis liquet ex *L. 1. §. 14. L. 5. §. 2. 7. et 12. D. de Agnosc. et alend. liber. etc.* Neque aliter se habere Germanica iura, vel sola poena infantum expositioni statuta in *Nemesi Carolina arr. 132.* abunde probat.

§. VII.

Est praeterea extra dubitationis aleam positum, quod educatio liberorum quam maxime contineat ea omnia, quae ad disciplinam pertinent. Id enim non solum sponte fluit ex illis, quae

quae §. 5. accepimus: sed etiam secundum Latii Iuris scita adeo verum est, vt eadem quoque *alimentorum* ex iure sanguinis praefandorum nomine comprehendantur, licet alias *alere* disciplinam non complectatur, atque vt ad eadem liberis exhibenda parentes sint cogendi L. 4. D. *Vbi pupill. educ.* L. 6. §. 5. D. *de Carbon. Edict.* L. 6. D. *de Alimentis vel cibar. legat.* L. 5. §. 12. D. *de Agnosc. et alend. liber.* Qua propter STRYKIVS *cit. loc. ibique allegari* recte asserunt, quod alimenta simulque illa, quae in disciplinam erogata sunt, vtpote a patre debita, collationi obnoxia non sint.

§. VIII.

Quid ergo impedit? quo minus ex diētis conficiatur regula, tum quod sumus studiorum causa non subiaceant collationi, si parentes hac de re nihil cauerint, tum quod ordinariae irrita sint de sumtibus his conferendis iussa parentum, siue ex eorum voluntate, siue contra hanc, sed pro conditione eorum, secundum magistratus arbitrium, studiis se dederint filii.

§. IX.

Vix enim quis tam iniquus erit iudex, vt disciplinam ad sola scholastica studia, aut ad artes illiberales, et ad officia pertinere, sit iudicaturus. Et deterioris conditionis academica esse debere studia, eo minus asserere licebit, quo minus educatio absoluitur scholasticis studiis, quae instrumentum saltem sunt disciplinarum ad rationabile vitae genus facientium in Academia addiscendarum, et quo minus vnica alendi atque educandi ratio in opificiis et artibus illiberalibus consistit. Quemadmodum vero impensae in opificium addiscendum factae extra conferendorum numerum esse nec in legitimam imputandae recte censentur ideo, quod naturali vinculo ad illas suppeditandas parens teneatur STRYKIVS *cit. §. 17.* quem in modum ante aliquot annos inclytus in hac Academia Ictorum Ordo in casu *Christian und Gabriel Gebrüder R. Klägerer wider Heinrich Iacob R. Wittwe und Kinder anderer Ehe auch dessen Enckel Beklagte* pronunciauit, *wie dann auch dasjenige, so der Erblasser auf einen oder den andern Theil an Aufding- und Lehr-Gelde, Geburtss- und Lehr-Brieffe etc.*

verwen-

verwendet etc. der collation nicht unterworfen ist: ita eodem iure sumtus in studia academica collati vti debent, qui non minus ad educationem et alimenta, quae ex necessitate praestanda, pertinent per verba initial. hui. §. et §. 5. cui suffragatur ICtorum Responsum apud STRYKIVM cit. cap. IV. §. 21. in fin.

§. X.

Sane, si contrarium adstrueretur, iniquissima foret literatorum filiorum conditio, longeque deterior, quam reliquorum liberorum. Num enim gratis aluntur reliqui in complexu parentum? num filiarum educatio nullos requirit sumtus, si respicias victum, vestimenta, cultum, institutionem earundem in artibus hunc sexum decentibus, vtpote vt, praeter religionis praecipua, discant tractare filium, curare rem familiarem, legere, scribere, artem numerandi, linguas, choreas, musicam, alia? numne multa absument nuptialia filiarum conuiuia? Sed haec omnia non conferuntur. CARPZ. P. III. C. XI. D. 22. STRYK. cit. Diff. XI. cap. II. §. 8. quamuis nulla praerogatiuae ratio in his offendatur. Maxime esset, vt his temporibus de iniquitate quererentur filii in illis Germaniae locis, vbi instructissima filiabus praecipua est Gerada, rebus expeditoriis vilissimi pretii longe praestantior. Taceo, quod sumtus, qui proxime in studia academica erogantur, sint valde modici: pleraeque impensae ideo fiunt, quod filii studiosi peregre viuant; adeoque in victum et cultum conuertuntur, ita vt lucro cedant hominibus, qui ad erudiendos studiosos faciunt nihil; quamquam hi homines egregie fallantur, si putent, suum lucrum praecipuum esse Academiae finem. Mitto quoque, quod filius iuste exheredatus conferre non teneatur: eo tamen non melior esset filius exheredationem non meritus, si in legitima institueretur praecipua simul collatione sumtuuum in studia subministratorum.

§. XI.

Accedit proxime ad nostram sententiam ipsum vulgaris opinionis temperamentum, quod adhibent ICti supra §. 7. laudati, nimirum quod a collatione sumtuuum in studia erogatorum a patre praecipua excipienda sint alimenta. Etenim si alimenta,

vti fieri debet teste STRVVIO *cit. loc.* et ipsis, ad quos prouocat, textibus iuris indignantibus *L. 6. §. 5. D. de Carbon. Edict. L. 5. §. 12. D. de Agnosc. et alend. liber L. 12. §. 3. D. de Administr. tutelae.* in ambitu iusto sumantur, restrictio haec regulam ipsam vulgarem absorbet, vel eandem plane inuertit per §. 7. et 9. neque solida dabitur ratio, cur id saltem intelligendum sit de eo, quo, ad tolerandam domi vitam, opus fuisset filio.

§ XII.

Obstare quidem videtur dictis, quam omnes citant, *Lex 50. D. Famil. heriscund.* cuius tenor est: *Quae pater filio EMANCIPATO studiorum causa peregre agenti subministravit, si NON CREDENDI ANIMO pater misisse fuerit comprobatus, sed PIETATE DEBITA ductus, in rationem portionis, quae ex defuncti bonis ad eundem filium pertinuit, computari aequitas non patitur.* Sed nihil muto. Nam tractat lex, praeterquam quod ad antiqui iuris collationem pertineat, de filio emancipato: liquidem Romani Iuris principiis aduersatur, patrem filio suo subministrare aliquid credendi animo, nisi quoad peculium. In filio autem emancipato Romanis ratio erat in promptu, quippe cui non aequae vti suo pater tenebatur ad alimenta, sed in subsidium saltem *argum. L. 5. §. 7. D. de Agnoscend. et alend. liber.* Certe ex lege hac particulari ad vniuersalem quandam regulam et ad omnes nequam formari poterit consequentia. Quin potius alia omnia indigitare videntur legis verba, *sed pietate DEBITA ductus*, quae satis perspicue demonstrat, quod collationi obnoxia non sint, quae parentes in studia liberorum erogarunt *ex pietate debita*, quippe quae in republica quoad educationem liberorum cum perfecta obligatione coniuncta est §. 5. et 6. et huius causa tanto favore digna fuit visa Romanis, vt etiam dubio adhuc statu filii in honorum possessione Carboniana ex bonis defuncti, qui pater esse dicitur, *studiorum* sumtus ipsi alimentorum et impendiorum necessariorum nomine suppeditandi sint *L. 5. §. 12. D. de Carboniano Edict.* quos lucratur, quamuis postea apparuerit, eum inter liberos haut esse *L. 5. §. 3. D. Eod.* Et quomodo quaeso *lex illa 50. cit.* efficiet in Germania regulam, vbi filii studiosi patre vivente sui iuris facti vix occurrunt?

§. XIII

§. XIII.

Alterum, quod obmoueri posset, erit, quod pater via indirecta finem suum obtinere posse videatur, liberos scilicet inaequaliter instituendo heredes, et sic reliquis maiorem assignando portionem, aut iis aliquid praelegando. Verum haec aliena sunt a re: id enim pater quoque posset, quanquam collationem praeceperit; si hoc ipsi liceret. Atque in eo maxime cardo rei vertitur, an pater extra praelegata reliquis liberis relicta, et in portionem minorem filio assignatam vel plane in legitimam eius sumtus studiorum causa subministratos iubere queat conferendos?

§. XIV.

Caeterum positis his principiis minime opus est, vt pro stabilienda immunitate sumtum horum a collatione ad dubiam causam aut peculi quasi castrensis aut priuilegii cuiusdam singularis, quod multi frustra in *cit. lege 50.* quaerunt, confugiamus.

§. XV.

Interim tamen, ne quid nimis in praesidium nequitiae indultum videatur filiis, adhuc monendum est, quod ex §. 5. facile intelligatur, *omnino ratum esse* praeceptum paternum de conferendis sumtibus studiorum nomine erogatis, 1) si citra patris indulgentiam modum excesserit filius: tunc enim *quod ultramodum* in reliquorum liberorum euerfionem *accepit*, conferre debet iussu patris. Vel 2) si studia simulando fucum fecerit patri filius otio et luxuriae sese tradens: neque tamen ipse pater peruersa educandi ratione causa fuerit vitiorum filii. Hoc casu praecipere poterit collationem acceptorum, *exceptis iis*, quibus domi indigisset. Idem, et sub *eodem hoc moderamine*, dicendum, 3) si inuito patre et citra huius culpam desperatus fiat filius studiorum defertor. Aliud enim obtinebit, 1) si id fiat ex voluntate patris: Si 2) studiis academicis ideo traditus saltem sit, vt praeparetur ad aliud vitae genus, vtpote vt aprior sit ad militiam. Si 3) filium disciplinae cuidam, v. g. Theologiae, ad quam minime compositus est inuita deuouerit prorsus Minerua; imputabit enim pater sinistroseuentus studiorum imprudenti suo

consilio: et hoc casu aequè uti in eo, quem sub num. II. accepimus, si scilicet pater ipse filium prauo exemplo ad vitia accenderit, filius iners satis damni perpeffus, quod nihil didicerit, ex quo prae plebe emergere possit, rectè dicitur a BEYERO *cit. loc. post. 20. not. e.* Denique 4) si pater per collusionem cum filio ipse auctor fuerit, ut ad tempus studia prae se ferat filius ad ea ineptissimus, quo se subtrahat muneri cuidam publico olim tamen euasurus opifex.

§. XVI.

Dici possent adhuc nonnulla sigillatim de matre sumtus subministrante, nec non de iis, quae sub studiorum sumtibus comprehendantur: sed iam non vacat, et properandum est ad finem propositum. Enim vero gratum erit, si quiuis aliquid dictorum e re sua esse putet, et in suum inde quid deriuare possit emolumentum: at imprimis agitur causa *iuuenum aliquot solertissimorum et egregie moratorum*, non quidem ideo, quasi a collatione sumtuum in studia erogatorum aliquid habeant metuendum, quae suspicio nequidem cadit in PARENTVM PIETATEM erga filios *obedientissimos aequè ac frugalissimos*; sed longe alia est collatio, quae vertitur. Nimirum contulerunt hi de exercitio quodam *disputatorio publice inuicem instituendo* me moderante, meque hac de re adierunt: ego autem non potui non annuere optimo eorum desiderio. Consilio igitur meo quilibet illorum ipse in chartam coniecit theses ex vario iure et omnibus ferme Iurisprudentiae partibus selectissimas et ad ventilandum aptissimas: qua in re liberiore iis concessi electionem, siue quid ex meis siue ex aliorum riuis hauriant, quo oportunior illis sit disceptandi inuicem occasio, adeo, ut nequidem filii mei arbitrio patria potestas obstiterit. Congredientur itaque ordine, quem fors cuique assignauit,

Genera-

IN CONF. STVD. SVMT. RATO VEL IRRITO. 69

Generosissimus DN. GEORGIUS DIEDERICVS
CAROLVS AB ENGELBRECHTEN,
Cellensis - Luneb.

Nobilissimus DN. IOANNES PETRVS RINGCK,
Verbena - Palaeo - Marchicus,

Generosissimus DN. OTTO LVDOVICVS AB
EICHMANN,
Berolinas,

Generosissimus DN. THEODVLVS FRIDERICVS
DE WALLMODEN,
Eques Hildef.

IOANNES PHILIPPVS CARRACH,
Halensis Magdeburgicus.

respondendo et opponendo non ostentationis sed profectuum
excolendorum causa in Auditorio publico luridico singulis die-
bus Sabbathi *hora tercia pomeridiana*, eiusque rei initium erit D.
Iuu. die XXIV. Februarii a. c. Itaque PATRONOS ET FAVTO-
RES, vt praesentia sua certantium industriam excitent, qua par
est obseruantia, obnixè rogo. Dab. Halae Magdeburgicae die
XV. Febr. Anno CIO DCCC XLVIII.



THESES
EX IVRE VARIO

PENSVM I.

DEFENDENDVM

DIE XXIV. FEBRVARII ANNO MDCCCLXIX.

AB AVCTORE

GEORGIO DIEDERICO CAROLO
AB ENGELBRECHTEN.

CELLENS. LVN.

EX IVRE NATVRALLI

I.

Egregie falluntur, qui amorem pro principio Iuris Nat. habent. Genuinum potius atque certissimum est felicitas interna atque externa promouenda.

II. Atheus, licet Deum illumque res humanas curare per absurditatem neget, tamen Iure Naturae tenetur. Agnoscit enim internum boni atque mali cum actione nexum. Nexus autem ille internus cum actione constituit Ius Naturale.

III. Neque minus, iuste agere posse Atheum, concedere debent, qui cum bene agere posse affirmant. Siquidem iustae actiones infimum bonitatis gradum constituunt.

IV. Secundum Ius Nat. saepius eidem delicto diuersa poena imponenda. Attendendum enim est partim ad discrimen personarum delinquentium, partim ad animum, partim etiam ad qualitatem eorum, in quos delictum committitur, partim quoque ad circumstantias loci et temporis.

V. In Iure Nat. nulla occurrit distinctio conventionum in contractus et pacta, aut quaestio de illorum diuisione ex Iure Romano in bonae fidei, et stricti iuris. Quod et Germania seruat.

VI. Imputationis effectus nonnunquam, salua eius regula in non causam transit, et quidem per consequentiam.

VII. Omissio actionis, si omnis agendi occasio defuerit, non tamen per socordiam impedita fuerit, imputari nequit. Ad id enim, quod fieri non potest, nemo obligatur.

EX

THESES

EX IVRE CIVILI.

VIII. Divisio iuris rerum in ius in re et ad rem inuentum est Iure consulti. In toto cuius Corpore iuris ne haec quidem occurrit. Ius rerum determinatur ex dominio, quod late sumtum ipsum ius in re continet, et ex obligatione, cuius correlatum dici potest ius ad rem.

IX. Mare in dominium redigi nequit; nisi quatenus est accessio terrae.

X. In ambiguo tota iurisdictio adeoque et superior aeque ac inferior concessa praesumenda est.

XI. In Germania nihil impedit quo minus mulier in testamento possit esse testis: quia comitiis interesse atque iurisditionem exercere valet.

XII. In crimine laesae Maiestatis atque incendii et in attentatum poena ordinaria cadit.

XIII. Pupillus actione directa conueniri potest ad reddendas rationes ex negotiorum gestione.

XIV. Errant qui successione pactitiam anomalam dicunt et inde indigere consensu imperantis: quamuis hic error in quibusdam locis in legem specialem abierit.

XV. Puberum iusiurandum validum reddit negotium: etiamsi sine curatore gestum sit.

XVI. Vsfusfructus, quia omne ei inest emolumentum, locari potest, non vero vsus, quia proprietarii conditio deterior redderetur.

XVII. Quia in deposito restitutio fieri debet in specie et non in genere, ideo exceptio compensationis in hoc contractu non obtinet.

XVIII. Nullius plane momenti in effectu est diuisio culpae in latam, leuem, et leuissimam. Potius ex indole obiecti aestimanda est culpa.

XIX. Actor videns se probare non posse dominium, petitorio relicto, ad possessorium se conuertere potest.

XX. Consuetudines ab allegante sunt specificè probandae.

EX IVRE CANONICO
ET ECCLESIASTICO.

XXI. Sponsalia de praesenti et de futuro ex Iuris Canonici principis originem trahunt. Iure Rom. omnia sponsalia sunt de futuro.

XXII.

XXII. Sponsalia sunt conventiones determinatae de ineundis invicem nuptiis. Confiuntur consensu. Sequitur ergo ut mutuo consensu dissolvi possint.

XXIII. Iniquum ergo est, ut personae sponsalia contrahentes pro sponsalibus dissolventis arrhas perdere teneantur.

XXIV. Reprobanda est merito separatio perpetua quoad torum et mensam. Qua tolluntur omnes matrimonii fines, salvo illo.

XXV. Secundum Ius Can. liberi fideicommissio vniuersali grauati detracta ab illo legitima et quartam Trebellianicam deducere possunt.

PENSVM II.

VENTILANDVM.

DIE

CICIDCCXLIIX.

EX IVRE NATVRALI.

I.

Iure Nat. stricto nulli sunt prohibiti gradus consanguinitatis et affinitatis in matrimoniis ineundis.

II. Ex ipsa domini indole ius vitae et necis in seruos absolutum deriuari nequit, cum omnino distinguendum sit inter dominium, quod est de rebus extra hominem, et inter id, quod de ipso homine competit. Dominium vero in corpus humanum minime tribuit facultatem illud pro lubitu destruendi.

III. Nec ius vitae ac necis illud rectius deducitur inde, quod pater familias esset quasi regulus in familia sua extra rem publicam existente.

IV. Potius hac in re quaedam debentur indoli domini, quaedam ex familiae rationibus fluunt, quaedam vero magis ad licentiam quam ad iura status naturalis pertinent, cui Romani diu indulserunt.

V. Coactio violenta alterius ad societatem nobiscum ineundam non semper est iniusta.

VI. Ius belli partim ex iure necessitatis, partim ex iure violentae defensionis deduci potest.

VII. Extra rem publicam pretium rerum determinatum nullum est, sed ex mutua partium conuentione dependet.

EX

EX IVRE CIVILI.

VIII. Restitutio in integrum minoribus indulta regulariter non datur contra tertium possessorem, nisi vel mala fide possideat vel minoris interfit, ut rem potius ipsam, quam eius pretium consequatur, vel si laedens soluendo non sit.

IX. In German. restitutione in integrum opus non est quia causae, ob quas haec decernitur, actum ipso iure nullum reddunt. Excipias restitutionem ob minorennitatem, quam ex admixtione Iuris Romani Germania probat.

X. Exulant apud nos peculia.

XI. Latrocinium et obsessio itineris ita inuicem differunt, ut haec vindictae causa, illud vero lucri faciendi gratia suscipiatur.

XII. In incendio culpa specialis inhabitantis est probanda, alias inhabitans illam non praestat, et propterea iuramentum purgatorium ei dictari potest.

XIII. Transactio de controuersia testamentaria tabulis nondum inspectis procedit.

XIV. Curatoris consensus in celebrandis sponsalibus Iure Romano non requirebatur: Quod secus in Germania.

XV. In Rei Vindicatione malae fidei possessori impensae necessariae in rem factae restituendae sunt: nisi rem vi sibi comparauerit.

XVI. Impensae quae ex natura contractus fieri debuerunt, licet per illos fundus in meliorem peruenerit conditionem, a colono finita locatione repeti nequeunt.

XVII. Perperam agunt qui matrimonium ad Morganaticam cum concubinato Romano confundunt.

XVIII. Venditor qui rem tradidit, neque pretium eius ab emtore accepit, potest illam moto de emtoris bonis concursu vindicare extra concursum: nisi fidem habuerit, nec tamen dolo inductus sit, ad fidem habendam.

XIX. Derelictio rei vix colligenda est ex coalitione cum fundo alterius, quae potius ad subtilitatem Iuris Rom. pertinet. Sed in Germ. solum respicias ad derelictionem prioris domini siue expressam siue tacitam. Haec vero etiam ex praesumptione aestimari potest, colligenda ex praescriptionis tempore.

XX. Ad acquisitionem domini per occupationem etiam ferarum absolute et per se non est necessarius et titulus et modus, qui posterior sufficit: sed respectu fisci tantum in locis, in quibus imperans subditis occupationem ferarum restrinxit, et ad regalia retulit.

EX IVRE CANONICO ET ECCLESIASTICO.

XXI. Lex a principe seculari data et clericos in republica eius degentes obstringit.

XXII. Iuramentum dandorum et respondendorum etiam per procuratorem praestari potest.

XXIII. Exceptio spoli, si per XV. dierum spatium probari possit, impedit liti contestationem etiam eventualem.

XXIV. Propositio negatiua indefinita ab asserente probanda non est; nequidem per iuramenti delationem.

THESES

EX IVRE VARIO

MAXIME EX

IVRE NATVRALI ET ECCLESIASTICO

DESVMTAE

QVAS D. IIDO MARTII ANNO CIO IO C CXLVIII.

PVBlice VENTILANDAS EXHIBET

AVCTOR

IOANNES PETRVS RINGCK

VERBENA - PALAEO - MARCHICVS,

PENSVM I.

THES. I.

Felicitas vitae futurae proprie non est obiectum, nec finis, iurisprudentiae.

II. Idololatrarum non melior, quam Atheorum, est conditio.

III. Conscientia dubia est contradictio.

IV. Simulatio, dissimulatio atque falsiloquium aliquando non solum pro licitis et laudabilibus, verum etiam pro necessariis haberi debent.

V. Iusiurandum non ad cultum diuinum, sed ad imperfectiones humanas pertinet.

VI Gra-

VI. Grauida a purgatorio non excusatur, licet hoc *tortura spiritalis* vocetur.

VII. Falsum iurans non statim peierat: vnde probato priore, posterius non statim sequitur.

VIII. Disputatio de optima reipublicae forma frustranea est.

IX. Maiestas non est immediate a Deo, sed a populo: quamuis in alia omnia eat *MASIVS v. THOMAS. Institut. iurispr. diuinae.*

X. Restitutio ac conseruatio aequilibrii in se spectata non est iusta belli caussa.

XI. Pacta cum victis a victore inita exceptione, quod vi metuque extorta, impugnari non possunt, quamuis sint durissima.

XII. Dantur etiam res nullius, quae sunt in dominio.

XIII. Etiam in homicidio doloso aggratiati loci esse potest, nec quidquam contrarii ex *Genes. VIII. v. 6.* fuit.

XIV. In extrema necessitate homini hominem occidere licet, vt eius carne vitam miseram sustineat. Hinc

XV. Si plures in eadem necessitate sint constituti; nihil aliud, quam praeuentio, obtinet.

XVI. Moderamen inculpatae tutelae reum a custodia vix liberat, quoniam facti est ab allegante probandi.

XVII. Ecclesia sua natura non est societas inaequalis, nec ergo status de ea praedicari potest. Hinc

XVIII. Triplex ille status subditorum, magistratum et clericorum, *Nebr-Webr-und Lebr-Stand*, ad ecclesiam non quadrat.

XIX. Ministris ecclesiarum protestantium singularis spiritualitas, imperium, et independentia ab imperio saeculari minime conuenit.

XX. Princeps euangelicus non qua papa, nec qua summus episcopus, nec qua membrum ecclesiae primarium, nec ex translatione iurium collegialium ab ecclesiis facta, sed qua princeps ius circa sacra exercet. *V. PERILLVSTR. DN. BOEHMERI. Inst. Iur. Canon. L. I. Tit. §. 13.*

XXI. Aduocatia IMPERATORIS non pontificiorum solum, verum etiam euangelicorum debet habere rationem.

XXII. Controuerbiae fidei regulariter non sunt legis obiectum.

XXIII. Denunciatio euangelica ex Iure Canonico apud pontificios nihil minus quam iusta est.

XXIV. Rationi, indeque sanae iurisprudentiae, aduersum est, sub praetextu, quod crimen sit notorium, sine vlllo processu inauditum condemnare.

XXV. Quibus debetur tolerantia necessaria, feriae diuinae alterius religionis obrudi nequeunt.

XXVI. Diuulgatio eorum, quae ministro ecclesiae sub sigillo confessionis reuelata sunt, turpis admodum est et contra officium confessionarii, tanquam singularis amici: attamen subordinatum hoc esse debet iuri magistratus eiusque imperio.

XXVII. Inter protestantes parochis non licet, propria auctoritate excludere aliquem a S. Coena: sed hoc ex consistorii iudicio pender.

XXVIII. Obligatio cambialis et obstagialis ministris ecclesiarum protestantium minime conuenit.

XXIX. Prohibitio alienationis actionum in clericos apud protestantes nulla solida nititur ratione.

XXX. Iura stolae ministris ecclesiae eodem iure, quo salarium debentur, et ab his absque simoniae nota percipiuntur.

XXXI. Ruri praedia habentes, etiamsi nobiles atque praedia ab operis rusticis sint libera, tamen in aduehenda materia, ad aedificandam ecclesiam necessaria, concurrere debent.

XXXII. Ad reparandam ecclesiam, aerario deficiente, quidquid contulerunt patroni et parochiani, postea repetere nequeunt, si forsan ex post facto aerarium ecclesiae fiat locupletius.

XXXIII. Non licet pontificiis, noua onera realia imponere aedibus et fundis in praediuicium euangelicorum, quibus in loco quodam ex termino decretorio tolerantia necessaria debetur.

XXXIV. Petit principium, quod feuda oblata in dubio praesumantur impropria, vel ecclesiastica foeminina.

XXXV. Contra regalia nulla prodest praescriptio.

T H E S I V M
EX IVRE ECCLESIASTICO

OCCASIONE LIB. IV. DECRETALIVM
P V B L I C E D. C I O I O C C X L V I I I.
V E N T I L A N D A R V M.

P E N S V M I I.

I.

Matrimonium non est sacramentum, licet plerumque, nec immerito, audiat, *die heilige Ehe.*

II. Distinctio inter sponsalia de *praesenti* et de *futuro* ex mente Iuris Canonici post concilium Tridentinum neque inter ipsos pontificios amplius usum habet

III. Annuli datio ad sponsalia contrahenda non sufficit, nisi aliunde de animo contrahendi sponsalia constet. Fallunt ergo proverbia: *Der Ring bindet. it. Ist der Finger beringt, so ist die Jungfer bedingt.*

IV. Protestantes non solum sponsalia, sed etiam ipsum matrimonium, de facto a liberis, insciis parentibus, contracta, rectius irrita decernunt:

V. Sponsalia dissoluit quaelibet insignis status mutatio, ita ut clausula: *Rebus sic stantibus*, si vnquam, hic locum habeat.

VI. Hinc si alter desponsatorum torturae subiiciatur, licet innocens sit, vel cruciatus superauerit, sponsalia possunt dissolui.

VII. Sponsalia quoque tutius dirimuntur, si modo ex fama publica de superueniente affinitate constet, eamque fateatur sponsus, propriam vtut allegans turpitudinem.

VIII. Transactio de omnibus sponsalibus licet, quoniam sunt dissolubilia.

IX. Absoluta coactio ad matrimonium, etiam a pontifice *c. 17. X. de Sponsal. et c. f. de procur. in 6. ob difficiles exitus* merito reprobat. Excipiuntur tamen duo casus, si videlicet sponsus sponsam stuprauerit, aut sub spe matrimonii ad concubitum dolose iaduxerit.

X. Solemnia matrimonii non quidem in statu naturali, in republica vero necessaria sunt. Hinc

XI. Benedictio sacerdotalis, tanquam ritus declarandi matrimonium maxime rationalis, a protestantibus non immerito seruatur.

XII. Minister ecclesiae per *ιερολογισαν* non efficit matrimonium, sed, vti ex significato vocis apparet saltem benedicit partibus, qui copulam matrimonii sibi ipsis neclunt per publicam eamque legitimam consensus declarationem.

XIII. Datur etiam apud protestantes in Germania casus, vbi foemina pro legitima vxore sine benedictione sacerdotali declaratur.

XIV. Consensus parentum in liberorum matrimonia in statu naturali est quidem de honestate, vt loquuntur, non vero de necessitate.

XV. In republica vero hic consensus parentum in liberorum matrimonia necessarius est, ita tamen, vt consistorium consensus parentum suppleat, si iustas dissentendi causas allegare non possint.

XVI. *L. 26. C. de Nupt.* prohibens, ne quis eam, quam ex sacro leuauit fonte, ducat vxorem, apud protestantes non est attendenda.

XVII. Termini: *Beichtvater, Beichtsohn, Beichtobhter*, redolent quidem modum loquendi antiquum ex papatu reliquum: sano tamen sensu apud protestantes tolerari queunt.

XVIII. Matrimonium clerici cum filia spiritali, vt dicunt, subsistere posse, extra omnem dubitationis aleam positum est.

XIX. Nihil est quod matrimonium cum illa, quae durante adoptione soror mihi esse coepit, impediat in Germania, cum coniuges plerumque separatam instituunt oconomiam, qua patria potestas soluitur.

XX. Ratio diuersitatis solida inter prohibitionem matrimonii cum patruu vidua et auunculi vidua in Germania quidem allegari non potest.

XXI. In eunuchorum societatem matrimonii aemulam, valde inhonestam, dispensare, boni principis officio parum congruit.

XXII. Nuptias etiam tempore aduentus et quadagesimae celebrationi facile conceditur dispensatio, si modo sine strepitu musices, saltationis, aliisque bacchanalibus celebrentur.

XXIII. Liberis adulterinis alimenta negare secundum *Nov. 89. c. 15.* iniustissimum foret.

XXIV. Iudaeorum ac Anabaptistarum liberi parentibus inuitis auferri et ad baptismum rapi non debent.

XXV. Actioni iniuriarum non est locus, si quis officium patris suscipere modeste recuset.

XXVI.

XXVI. Secundae nuptiae apud protestantes cuiuslibet hominis arbitrio permittuntur, nec attenditur patrum nonnullorum sententia, qui friuolis sane ex rationibus quondam secundas nuptias *honestum stuprum* dixerunt. *c. 8. seqq. C. 31. Q. 1.*

XXVII. Mutuum adiutorium ad matrimonii essentiam necessario non pertinet iure naturali: recte tamen in republica lege civili praescribitur.

XXVIII. Qualiscunque causa, matrimonii fines principales perpetuo euertens, ad diuortium totale sufficit, nec obstat dictum feruatoris *Matth. V. v. 32.* vbi vocem *nozevelas*, non solum stuprum, sed et quod eius rationem habet, i. e. omnem grauem causam, denotare, iam pridem viri docti obseruarunt.

XXIX. Hinc e. g. impotentia superueniens immedicabilis, morbus contagiosus, licet fortuito coniugi contigerit, diuortii totalis iusta causa est, si coniux sanus dono continentiae non gaudeat.

XXX. Separationem quoad torum et mensam in perpetuum, utpote quae effectus producere solet tristissimos, protestantes merito abhorrent.

XXXI. Datur etiam casus, vbi maritus sequi debet domicilium uxoris.

THESES
EX IVRE VARIO
QVAS VENTILANDAS EXHIBET
OTTO LVDOVICVS AB EICHMANN
BEROLINENSIS.
AVCTOR ET RESPONDENS.
PENSVM I.

DEFENDENDVM DIE IX. MARTII ANNO CIO I O C C XLVIII.

EX IVRE NATVRAE.

I.

Non datur Ius Gentium distinctum et separatum a Iure Naturae, sed quae vulgo Iuris Gentium venditantur, aut sunt Iuris Naturalis late vel striete dicti, aut plane non obligant.

II. Consensus praesumptus est Iuris naturalis, adeoque non fingitur a legislatore, vti plerique dicunt.

III.

III. Ius Naturae et Sacra Scriptura sibi non contradicunt. Sed contradictiones sunt aut apparentes, aut ne apparentes quidem, quippe Ius Naturae felicitatem praesentis vitae tantum monstrat, Sacra Scriptura autem imprimis de futurae vitae felicitate tractat.

EX IVRE CIVILI.

I. Iure Romano seruitus faciendo consistere nequit propter actionum formulas. Si enim ob factum contra aliquem agendum esset, formula actionis ita se habebat: *Aio Lucium Titium facere oportere*. Haec autem personalibus actionibus propria, ad reales minime quadrabat. Sed Iure Naturali et inde in Germania, exulantibus actionum formulis, omnino in faciendo consistere potest seruitus. Nec exempla defunt in molendinis, furnis et cauponis banuariis, *Zwang-Mühlen*, *Zwang-Backöfen*, *Zwang-Schenken*.

II. Pacta Iure Romano dantur vestita et inter haec etiam adiecta.

III. In Germania non dantur pacta vestita.

IV. Et tamen dantur adiecta.

V. Emancipatio tanquam modus tollendi patriam potestatem civilem Romanam perpetuam in Germania plane nullius est usus.

VI. Emancipatio ad certum actum est non ens Iure Romano, multo magis Germanico,

EX IVRE FEVDALI.

I. Feudum solare probabiliter est, quod quondam verum feudum fuit, sed cuius vasallo ex postfacto dominus directus obligationem ad fidelitatem remisit, atque sic in allodium mutatum est.

II. Feudum est res concessa pro obligatione ad fidelitatem.

EX IVRE CANONICO.

I. Iure Romano ultimae voluntates in arbitrium tertii conferri nequeunt per *L. 32. ff. de Hered. instit.* sed Iure Canonico illud admittendum per *c. 13. X. de Testam. junct. c. 18. X. de V. S.* indeque etiam in Germania.

II. Non indistincte ad postulationem duae tertiae requiruntur.

III. Concordata Nationis Germanicae sunt lex mere Ecclesiastica.

EX

EX IVRE PVBLICO.

- I. Potest Augustanae Confessioni addictus IMPERATOR eligi.
- II. Non potest salua pace Guesstphalica STATVS IMPERII R. G. CATHOLICVS publicum cultum diuinum plenum cum deportatione publica venerabilis et processionibus pontificiis concedere, qui termino decretorio non fuit, vt pote quod status mutationem quoad religionem induceret. Facilius id admitti potest quoad cultum diuinum priuatum imo et publicum Euangelicorum non obstante dictorio illo: vbi non distinguit lex, ibi nec distinguit interpret, ceu regulis interpretandi aduersa. Et ex ipsa natura religionis Euangelicae vtriusque decet, vt ei addicti inuicem hac in re indulgentiores sint.
- III. Non subsistit electio IMPERATORIS facta sine alicuius ELECTORIS, qui vocandus erat, vocatione iuxta *A. B. c. I. §. 21.* nisi accedat ratihabitio.
- IV. Potest STATVS IMPERII vi superioritatis territorialis interritorio aduersum quid statuere legibus IMPERII, modo non tendat contra salutem totius IMPERII.
- V. Germanus esse videtur in sensu Iuris Publici, qui est STATVS IMPERII.

PENSVM II.

EX IVRE NATVRALI.

- I. Testamenta sunt et non sunt iuris naturalis.
- II. Idem dicendum de praescriptione.
- III. Recte statuerunt Stoici, quod secundum Ius Naturae viuere, idem sit, ac viuere secundum naturam.
- IV. Recte etiam dixerunt, quod animalia viuant secundum naturam.
- V. Et tamen minus recte bruta Naturalis Iuris peritia censuerunt, atque minus recte dixerunt, quod natura omnia animalia Ius Naturae docuerit.

EX IVRE CIVILI.

- I. Separatio oeconomiae emancipatio tacita per principium contradictionis dici nequit.
- II. Actio contraria potest esse simul directa, et vice versa.

L

III.

III. Donationes ultra 500 solidos apud Romanos interuenientibus actis infinuendae fuerunt ob praecipitantes eorum animos ex climatis vitio, qui in causa erant, vt multa promitterent, quorum mox poeniteret. Quapropter, vt de animo deliberato constaret, in donatione magni momenti insinuationem requisuerunt Romani. Verum hoc principio exulante in Germania, in qua ab antiquis donationes sine restrictione ad summam certam valuerunt, etiam exulare deberet ista conclusio Iuris Romani.

EX IVRE FEVDALI.

I. Essentialia feudi saltem sunt

I) concessio rei

II) pro obligatione ad fidelitatem. Reliqua omnia ad naturalia pertinent.

II. Feudum inde non iudicandum francum, quod seruitiorum feudaliū nulla facta sit mentio in literis clientelaribus.

EX IVRE PVBLICO.

I. Nexus feudalis non est vnicus cum IMPERIO R. G. ceu liquet in CIVITATIBVS IMPERII IMMEDIATIS.

II. Nouum officium aulicum excogitari vix potest, aut enim iam comprehensum erit sub quatuor illis, aut non est aulicum.

III. Non differunt hodie re vera CIVITATES IMPERII et CIVITATES IMPERII LIBERAE secundum leges Imperii ipsas, quae ciuitatem aliquam IMPERII modo *liberam*, modo *Imperii* simpliciter dicunt.

IV. Minus recte ius STATVVM IMPERII de non euocandis ciuibus, privilegium vel beneficium dicitur, cum hoc ex indole superioritatis territorialis iam fluat.

V. Fuerunt *Capitulationes* REGVM et IMPERATORVM Germanicorum ante CAROLVM V.

VI. Iura ELECTORVM iis non demum concessa per A. B.

EX

EX IVRE CRIMINALI.

I. Si quis verferetur

- 1) in negotio licito, simulque
- 2) licito modo
- 3) licito loco et
- 4) licito tempore, atque homicidium committat, illud mere casuale est.

II. Deficit Iure Germanico diuisio delictorum in publica et priuata. Sunt enim Iure Carolino omnia publica.

III. Iure Romano deest differentia inter furtum simplex et qualificatum, quod aliter se habet in Germania iuxta C. C. C.

T H E S I V M

EX IVRE VARIO

PENSVM I.

D. XVI. MARTII ANNO MDCCCXLVIII.

VENTILANDVM.

AB AVCTORE

T H E O D V L O F R I D E R I C O

D E W A L M O D E N .

EQV. HILDESH.

I.

P R I N C I P I E V S E L E C T O R I E V S non nisi qua E L E C T O R I E V S terminus quidam certus aetatis minoris in *A. B. Tit. VII.* praescriptus est.

II. In reliquis paribus cum ceteris P R I N C I P I E V S iuribus gaudent.

III. In electione I M P E R A T O R I S seu R E G I S R O M A N O R V M, secundum *A. B.* genuinam interpretationem non pluralitas votorum absoluta sed respectiua necesse est.

L 2

IV.

IV. PRINCIPES S. R. I. etiam sine IMPERII consensu cum exteris foedera inire possunt, sed saluis legibus IMPERII fundamentalibus.

V. Decreto IMPERII bello, nullum eius membrum neutralitatem amplecti potest.

VI. Circuli Euangelici membrum, etsi catholicum, tamen a praesentatione personae idoneae ad cameram IMPERII assessorum de iure excludi nequit, et vice versa.

VII. Archiofficia quae PRINCIPES ELECTORES EPISCOPO BAMBERGENSI praestant, magis ex superstitione mediæ aevi, quam ex nexu feudali, quo dicto episcopo tenentur, sunt deducenda.

VIII. Vxor quae propter dotem in possessione feudorum masculinorum est, vsque ad restitutionem illatarum, quiete quidem illis frui, minime vero praescribere potest vnquam.

IX. Illatio dotis quidem in feudum probanda, neuiquam vero versio.

X. Nec ad versionem consensu agnatorum, seu feudi successorum, opus est.

XI. Feuda recte potius institutum Germanicum quam Longobardicum dicuntur.

XII. Non solum Canonico, sed etiam Naturali Iure restitutio ablati ab heredibus pro viribus hereditatis fieri debet.

XIII. Pollutio ecclesiarum, in sensu Iuris Canonici de protestantium ecclesiis praedicari nequit.

XIV. Illud idem quoque de coemeteriis dicendum: unde sequitur, quod sepultura non facile cuidam neganda in coemeterio protestantium.

XV. Poena capitalis in crimine adulterii, nisi legibus prouincialibus sit statuta, non admittenda, sed potius extraordinaria.

XVI. Non lethalitas vulneris in homicidio dolo libero liberare non debet a poena capitali.

XVII.

XVII. Tortura est tamen medium rationabile veritatem eliciendi, quamvis sit periculosum.

XVIII. Non esse sine culpa, qui rei, quae ad eum non pertinet, se immiscet sine necessitate, et naturalia et civilia iura monstrant.

XIX. Secundum Ius Naturae in emtione venditione periculum statim contractu perfecto transit in emtorem.

XX. Et venditor emtori ad euictionem praestandam perfecte obligatus est, etiamsi ante traditionem res euincatur.

XXI. Minime opus est in donationibus secundum ius Naturae et Germanicum acceptatione expressa vel tacita: praesumitur enim quisque, quod felicitatem suam quouis modo honesto promovere velit.

XXII. Thesaurus secundum Ius Naturale est solius inuentoris tanquam occupantis, nisi dominus fundi opera eius ad inuestigandum thesaurum sit usus.

XXIII. Thesaurus vero non est, cuius dominium probari potest.

XXIV. Secundum Ius Publicum uniuersale non nisi regalia in specie sic dicta, siue iura maiestatica per se ad imperantem pertinent.

XXV. Cum deposito et pignore non transit periculum in eum cui creditum est, sed manet penes dominum Naturali et Romano Iure: quamvis in pignore stricte dicto Iure Germanico aliud obtinuerit, ut nempe creditor creditum perdidit pignoris casuali interitu; quod in quibusdam locis adhuc usu obtinet, alibi vero defuetudine inumbatum est.

XXVI. Inuentarium bonorum pupillarium a tutore regulariter quidem publica auctoritate faciendum: potest tamen remitti vel a patre, ne patrimonii vires pandantur, vel si sumtus ferre nequeat patrimonium.

XXVII. Sed prius in Germania exigui erit usus: nisi pater iusserit, ut tutor sit ἀνεκλόγητος.

XXVIII. Hoc quidem Romana Iura non ferunt bene tamen Germanica.

XXIX. Donatio propter nuptias in Germania nostra datur, etiam si nulla dos reperiatnr respectu cuius assignata sit. Secus de Iure Romano, ubi donatio propter nuptias semper supponebat dotem.

XXX. Inutilis est distinctio pactorum dotalium simplicium et mixtorum.

XXXI. Exulant in Germania distinctiones contractuum realium et litteralium, verbalium et consensualium, nec nisi consensuales, secundum Ius Naturae, locum inueniunt.

P E N S V M II.

D E F E N D E N D V M

AD D.

C I O I O C C X L V I I I .

I.

Galliae quidem et Sueciae REGIBVS guarantia circa pacem Westphalicam competit, attamen exinde non fluit, quod omnibus in dicta pace determinatis se immiscere valeant.

II. Superfunt adhuc quidam effectus iuris distinctionis inter territoria clausa et non clausa.

III. Solida ratio dubitandi deficit: An A. C. addictus in IMPERATOREM ROMANVM eligi possit.

IV. Ius in separato collegio per singulos annos de rebus totum imperium concernentibus deliberandi, etiam si per longum tempus non fuerit exercitum, tamen ELECTORIBVS vt singularis praerogatiua manet illaesum, quod nec lege contraria nec contradictione aut protestatione totius imperii abolitum, sed potius in omnibus capitulationibus CAESAREIS cum ceteris praerogatiuis implicite confirmatum est.

V. Nihil facit ad dignitatem ELECTORIS an Archiofficio decoratus sit, nec ne. Nemo igitur dubitare vnquam potest, qui POTENTISSIMVS ET SERENISSIMVS MAGNAE BRITANNIAE REX ELECTOR BRVNSVICO LVNEBVRGICVS inter AVGVSTISSIMOS ELECTORES optimo iure numerandus sit, etiam si archiofficio proprio adhuc destituatur.

VI.

VI. Etiam si Ius Canonicum bella et sanguinis effusionem omnibus clericis plane interdixerit, attamen in Germania Praelati immediati ius belli et gladii recte praerogatiuis suis eminentissimis annumerant.

VII. Vassallus de iure feudo priuatus exinde desumere exceptionem, aut feudi restitutionem vrgeri nequit, quod dominus feudum sibi referuauerit.

VIII. Propter feloniam, quam vassallus in vxorem siue liberos domini siue eius delegatum committit, de iure feudo priuandus.

IX. Sumtus in aedificia necessaria extruenda collocatos recte vltimi possessoris heredes allodiales a successore feudali repetunt secundum Ius Longobardicum: quamuis aliud obtineat Iure Saxonico.

X. Filii de Iure Longobardico feudum non possunt amplecti repudiata patris hereditate: collateralibus vero feudo contentis ius est abstinenti ab hereditate agnatorum. Iure Germanico priori etiam casu aliud obtinet, quod tamen alicubi mutatum videmus.

XI. Matrimonio ad morganicam inter priuatos et pares per pactum inito nihil solidi obstat.

XII. Malitiosa desertio iustam tamen diuortii causam dat, vtpote finem matrimonii aut penitus soluens, aut ad minimum, impediens, quicquid etiam dissentiat LAVTERBACHIUS rationibus minus praegnantibus commotus.

XIII. Minus recte negatur nummus qui a confitente in confessione confessionario dari solet, minus recte vero propterea agit confessionarius.

XIV. Insigni errore MEVIUS ducitur, ad legitimationem per subsequens matrimonium etiam sufficere sponsalia, credens, licet propter mortem alterutrius desponsatorum benedictio sacerdotalis accedere non potuerit.

XV. Nec

XV. Nec Iure Diuino, nec Naturali, licet Canonico, vsurae mo-
dicæ reprobantur: neque vsuræ vsurarum penitus prohibentur.

XVI. Non semper possessorium petitorio præferendum, sed in-
terdum consultius statim agitur in petitorio.

XVII. Secundum Ius Germanicum non opus est, vt heres in adi-
tione hereditatis sibi inuentario prospiciat, quia specificatione iurata se
liberare potest. Aliud dicendum iis in locis vbi per statuta aliud in-
troducunt.

XVIII. Multo minus beneficium deliberandi ex iisdem principiis
magni erit momenti.

XIX. Non dubitandum, quod etiam de Iure Germanico de ser-
uis nostris *Leibeigene Bauren* manumissio possit prædicari.

XX. Si de operis rusticorum in Germania quaestio moueatur,
in dubio magis pro operis indeterminatis quam determinatis, et sic po-
tius contra eos quam pro iis pronuntiandum.

XXI. Creditor semel publice interrogatus creditum negans, cre-
ditum amittit, et actionem; nec debitor de propria sillius confessione
excipiens ad soluendum tenetur, nisi probetur error.

XXII. Vix est quod efficiat de Iure Naturali in contracti-
bus distinctio inter dolum causam dantem contractui et inci-
dentem.

XXIII. Libertas potest esse in commercio: quamuis Romani ali-
ter senserint.

THESES
 EX IVRE VARIO
 PROPUGNANDAE
 AB AVCTORE
 IOANNE PHILIPPO CARRACH
 HALLENSI.
 PENSVM I.
 VENTILANDVM

D. XXIII. MARTII ANNI CIO IOCC XLVIII.

I. EX IVRE NATVRAE ET GENTIVM.

I.

Dantur leges extra rempublicam, non autem leges poenales.

II. Datur obligatio et perfecta et imperfecta extra rempublicam, vti in republica datur imperfecta atque perfecta.

III. Non omnis obligatio interna est imperfecta, vti nec omnis externa perfecta est.

IV. Ius circa sacra imperanti inter alia ideo competit, quod societas cultus diuini externi causa congregatorum sit collegium, directio vero omnium collegiorum in republica sit imperantis. Adeoque aequae incommodum foret statuere cum REINKINGIO in libro de *Regim. ecclief. et seculari* singularem directorem imperantem huius collegii ac aliorum collegiorum, vtpote militum, mercatorum, opificum, distinctum ab ordinaria maiestate, et independentem simul. Naturalia ergo prohibent Iura, vt exsit ex republica singularis maiestas sacra aequae ac mercatoria, futoria, fartoria.

V. Indifferentissimus religionis, qui dicitur, Naturali Iuri aduersatur, attamen eidem etiam aduersatur coactio ad religionem et sic dissentientium persecutio.

VI. Inuiolabilitas legatorum non attendenda est, vbi legatus civibus reipublicae hospitis adiutor est in violandis iuribus maiestaticis et regalibus. Praebet enim sese hostem reipublicae, et inde iure suo indignum.

M

VII.

VII. Titulum REGIAE CELSITVDINIS (*Königliche Hoheit*, SON ALTESSE ROIALE) non esse effectum coronationi proprium, demonstrari potest per inductionem. Sic enim SERENISSIMA GENS DVCVM SABAVDIAE, antequam regale Sardorum fastigium naeta est, aequae ac HETRVRIAE MAGNI DVCEs GENTIS MEDICEAE ab ipsis IMPERATORIBVS ROMANIS hoc titulo ornabantur. Et vix quemquam fugere potest, AVGVETISSIMOS SVCCESORES DESIGNATOS IMPERII RVSSORVM atque REGNI SVECICI audire IMPERATORIAM et REGIAM CELSITVDINEM. Attamen nec hi ipsi, nec eorum ascendentes proximorum graduum vnctione vel coronatione sunt gauisi, vti ex aduerso CELSISSIMI REGIS SVECORVM DESIGNATI maiores proximorum graduum non hoc titulo, sed ehaactere SERENITATIS DVCALIS (*Hochfürstliche Durchlaucht*) vsi sunt, quamuis descendant a stemmate GVSTAVI SVECORVM REGIS.

II. EX IVRE CIVILI.

I. Filiifamilias Germanici separatam oeconomiam cum assignatione certae partis bonorum instituentes, non sunt eiusdem cum emancipatis Romanis conditionis.

II. Iurisdicctio patrimonialis dominorum Germanicorum est vera iurisdicctio, quamuis in illam non cadat definitio ex mente Iuris Romani concepta, quod sit notio causae controuersae iure magistratus competens: quippe quae definitio alias etiam in Germania non distinguente inter imperium et iurisdictionem iusto est angustior.

III. Non dantur inter purioribus sacris addictos res negatiue nullius et extra commercium positae, quippe quarum fundamentum in sola superstitione pagana postea in Christianismum pontificiorum degenerem translata positum est.

IV. Recte se habet distinctio vulgaris domini in plenum et minus plenum, et huius iterum in directum et vile: modo notemus dominium minus plenum synecdochice audire dominium.

V. Dominium plenum potest esse partiarium, vti et minus plenum esse potest solidarium.

VI. Litis contestatio in Germania non est quasi contractus. Et in foris nostris praescriptio interrumpi, usuraeque morae deberi recte dicuntur a tempore litis motae.

III. EX IVRE FEVDALI.

I. Parum concinne definitur feudum per beneficium, ob feuda oblata et a domino emta, ex quibus inuita Minerua beneficium extorquetur.

II. Non recte se habet thesis eorum, qui asserunt, feuda in dubio potius antiqua quam noua esse praesumenda. Quia agnatus facilius probare quit, aliquem maiorum suorum, a quo et simul vltimus possessor originem traxit, feudum possedisse inuestitum, sine quo nequidem praetextum successione et petendae renouationis inuestiturae habet, quam filius edocere potest, vltimum possessorem primum acquirentem fuisse, quod ex literis clientelaribus raro adparet, et in negatiuam probatu difficillimam degenerat.

III. Sola possessio feudorum nobilium non nobilitat iure nouo: quoniam dignitas nobilis vel superior vel inferior codicillis singulariter impetranda.

IV. EX IVRE CANONICO ET ECCLESIASTICO.

I. Distinctio inter clericos et laicos in sensu Iuris Canonici nulum plane habet fundamentum in sacra scriptura noui foederis: bene tamen in ministros ecclesiae, siue docentes siue administrantes, et reliquam ecclesiam.

II. Turbatorum sacrorum reis vix iuste adplicatur inter protestantes poena capitalis; quippe cuius praecipuum fundamentum positum est in singulari sanctitate ecclesiarum et ministrorum inter pontificios, quam per inaugurationem accipiunt; quod fundamentum apud nos cessat.

III. Licitum est matrimonium inter comprouignos, quamuis natus sit frater communis. Cum coitus et exinde carnis vnitas, non vero generatio seu coitus foecundus, sit fundamentum affinitatis: adeoque nec ante nec post fratrem communem affines, multo minus consanguinei sunt comprouigni. Vnde dictum *Mosaicum* *Leuitic. XVIII.* u. B. LVTHERVS recte reddidit, *die deinem Vater geboren ist.* Nec mouet textus Hebraicus in contrarium, SELDENO vocem מְלִימָה vertente: *quae patri tuo peperit.* Nam haec vox Hebraica non solum verbaliter et quidem *passiue*, sed et *substantiue* sumitur pro *progenie.* Qui sensus ob ordinem antecedentium et consequentium opportunior est. Huic sententiae etiam LXX interpretes accedunt vocem מְלִימָה et connexa verba vertentes: *εμοπατρία αδελφά ἐστιν.*

V. EX IVRE PVBLICO.

I. *Pax Verodunensis* sancita a filiis LVDOVICI PII anno 843 ad Leges Imperii fundamentales merito referenda est: minime vero huc trahenda Instrumenta pacis *Nouiomagensis*, *Rysuicensis* et *Bada-Rastadiensis.* Ex illa enim mille veritates formam imperii nostri spectantes deducendae sunt, quales in his difficile reperiuntur.

II. Crassum errant errorem, qui IMPERIUM ROMANO-GERMANICVM MONARCHICVM esse vendunt, idque principium iuris publici Germanici constituunt, qui error est REINKINGII in *libro: allegato.* Sane pleraque iura maiestatica singulae IMPERIUM constituentes republicae separatim administrant; quaedam ab omnibus simul exercentur: paucissima vero et sub maxima restrictione IMPERATORI competunt soli. Notio vero *Monarchiae*, vti ex ipsa voce apparet, supponit omnem potestatem dirigendi actiones ciuium vni homini competere.

III. Systema iuris publici maximam partem a L. E. DE PVRENDORF, E. HENRICO DE COCCII et B. IO. PETR. A LVDEWIG stabilitum, quod asserit, omnem superioritatem territorialem statim extincta per CAROLI CRASSI remotionem *stirpe Carolingorum* in PRINCIPES IMPERII transsisse, nullo argumentorum adflatu euerti potest vel corrupti. Quin adhibitis tantum quibusdam historiae adiumentis aucta argumentationis catena demonstrari quirit.

IV.

IV. Dantur adhuc effectus pristini *Primatus Magdeburgici* post secularisationem eiusdem.

V. MARCHIONES et LANDGRAVII in acuo medio regulariter non COMITES *simplices*, sed DVCES aut PRINCIPES IMPERII fuisse videntur, et COMITES MARCHIONVM et LANDGRAVIORVM titulo insigniti exceptionem a regula faciunt.

VI. Iniuriam inferunt immèdiatis S. R. I. NOBILIBVS, qui illos dicunt seruos IMPERATORIS, quippe qui iisdem maiestaticis iuribus, seu superioritate territoriali plane eadem fruuntur, ac potentes quicunque IMPERII STATVS, licet non fruuntur suffragio comitali.

PENSVM II.

PROPVGNAVDM

DIE

CIO IO CCXLIX.

I. EX IVRE NATVRAE ET GENTIVM.

I.

Nullum officium perfectum ex naturali iure definit genus armorum et media quibus certandum est bellantibus. Neque ergo prohibet, quo minus vtantur puluere pyrotechnico non tonante. Nec aliud euincit Ius Gentium a nonnullis effectum.

II. Hereditas et Naturali Iure est ius in re. Atque eodem iure defertur vel 1) ex pacto successorio vel 2) ex testamento vel 3) ab intestato.

III. Hostis victor perfecte non obligatur ad donandum dedititios vita, qui aliquando intempertuam misericordiam exercens agit contra officia erga se ipsum.

IV. Licet subditis reipublicae cuiusdam secedere ex eadem, vti reipublicae fas est nuncium illis mittere. Nisi pacto singulari aliud conuentum, aut secessio fiat in perniciem reipublicae.

V. Quae vero post successum erga pristinam rempublicam a nonnullis praedicatur obligatio, vel nulla est vel imperfecta.

II. EX IVRE CIVILI

I. Iure Romano nasci poterat pater familias: non Germanico; potest tamen edi.

II. Quod maritus sit curator legitimus vxoris suae, *ehelicher Vormund*, ex ipsa matrimonii Germanici ratione est. Vnde quoque est, quod nec confirmandus sit, nec rationes reddat: nisi statuto vel pacto vel testamento obstante.

III. De Iure Romano non datur tutor maris puberis: bene tamen curator impuberis §. 3 *Inst. de Auctor. tut.* §. 2. et 5. *Inst. de Curator. L. 9. ff. de Susp. tut. et curat.*

IV. Inde error est Iustinianeis nouis indignus ponere essentiam tutelae in impubertate et curae in pubertate.

V. In Germania agrimensores siue sint *viltoris conditionis, gemeine Ruthenschläger*, siue in dignitate constituti, utpote *Professores Mathematicum, Aediles prouinciales et ciuitatenses, Ingenieurs et Conducteurs*, ex contractu do vt facias, adeoque ad culpam ad minimum leuem tenentur, et hi eo magis, quo maiorem prae se ferunt spem certitudinis, maiusque percipiunt honorarium.

VI. Noui operis nunciacione Iuris Romani tam priuata quam publica non indiget Germania. Illa enim scenam prae se ferret: haec vero, quia ei, in cuius praeiudicium nouum opus suscipitur, prospectum est abunde remediis aliis, nempe in petitorio rei vindicatione, actione confessoria, negatoria, pro qualitate causae, in possessorio autem remedio retinendae atque spoli actione.

III. EX IVRE FEVDALI

I. Feuda ex pacto et prouidentia maiorum non sunt separata feudorum species: quia sanguinis nexus in omnibus feudis propriis est saltem causa succedendi mediata, immediata vero pactum maiorum. Feuda autem hereditaria sunt impropriorum species.

II. Nulla

II. Nulla est distinctio inter feuda ligia et non ligia: quia vasallus in feudo praesertim militari tenetur iampridem ad defendendum dominum contra quemvis, nisi expresse vel tacite exceptum, utpote si domino ipsi non competat ius bellandi contra quendam, uti STATVI qua tali contra IMPERIUM: nec aliud est in feudo ligio.

III. Remissio Iuramenti Feudalis non est argumentum, unde necessario potest concludi ad fidelitatem vasallo remissam.

IV. EX IVRE CANONICO ET ECCLESIASTICO.

I. Officia episcopi et presbyteri in antiqua ecclesia non requirebant ministerium verbi divini.

II. Inter protestantes apostasia et haeresis per se consideratae non sunt censendae diuortii causae.

III. Recte se habet thesis illorum, qui asserunt, SERVATOREM absolute prohibuisse iuramenta inter suos, et tamen B. PAVLVS ei non aduersatur: siquidem vtrumque etiam innuit naturalis ratio, quod iuramenta omnia sint a malo, et quod iuramentis uti liceat, eaque servanda sint.

V. EX IVRE PVBLICO.

I. Maxime errant, qui superioritatem territorialem STATVVM IMPERII ex iurisdictione, mero, mixtione Imperio magistratuum Romanorum deriuant: quippe quae est potius verorum iurium maiestaticorum complexus per potestatem IMPERATORI et IMPERIO competentem in variis casibus restrictorum.

II. Reformati iam ante pacem Guesphalicam inclusi fuere pacis religiosae.

III. VICARII IMPERII post obitum CAESARIS regentes ex ratione A. B. IMPERIO etiam adesse debent impedito CAESARE adhuc viuente per morbum, iter et sic porro.

VI. Fal-

IV. Falluntur nonnulli scriptores Iuris Publici, dum SERENISSIMAE GENTIS BRUNSVICO - LYNEBURGENSIS privilegium de electione fori in art. 13. *Pacis Osnabrugensis* §. Deinde quaerunt: quoniam hic articulus quidem SVETIAE REGI hoc ius tribuit, nunquam vero, ut nec totum instrumentum, isti domui. Sed derivandum est privilegium ex codicillis FERDINANDI III. de dato 24. Nov. CIO IO CXLVIII. teste LIMNAEO, BVRGOLDENI, aliis pluribus.

V. *Tris - Camerarium Imperii* olim non fuisse *Nuntium Camerae*, ex eo contendo, quod in literis FRIDERICI I. IMPER. ab omnibus ferme PRINCIPIBUS subsignatis anteponatur BERTOLFVS *Tris - Camerarius* omnibus reliquis post *Dapiferum* et *Archi - Camerarium*: ab IMP. RVDOLPHO I. vero in literis inuestiturae ARCHIEPISCOPO EBERODVNENSI datis adpelletur PRINCEPS IMPERII et SECRETVS IMPERATORIS CONSILIARIVS uti quoque ab in sequentibus quibusdam CAESARIBVS teste CAROLO DV FRESNE aliisque.


F I N I S.



Ka 3108

25

nc



IOANNIS TOBIAE CARRACH, ICTI
POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIIS INTIMIS
ACADEMIAE REGIAE FRIDERICIANAE DIRECTORIS
PROFESSORIS IVRIS PRIMARI
FACVLTATIS IVRIDICAE PRAESIDIS
ORDINARIJ ETC.

PROGRAMMATA IVRIDICA

- I. De Quadriennali vita restitutionis
in integrum Reipublicae et Eccle-
siae *ad Leg. I. C. de Offic. ei. qui
vic. alic. jud. vel Praesid. obtin.
junct. Cap. I. et II. de Restitut. in
integr. in 6to.*
- II. De Sorite Fallaci et de Sensu *Le-
gis CLXXVII. D. de Verb. signif.
juncta Lege LXV. D. de Regul. Iur.*
- III. De Brocardico: Illiquidi cum
Liquido nulla est compensatio
*Ad L. ult. §. I. C. de Compensat.
vulgo: Geld vor, Recht nach.*
- IV. De Iussu Patris in conferendis
studiorum sumtibus rato vel ir-
rito *Ad Leg. L. D. Familiae her-
ciscundae.*

HALAE MAGDEBVRGICAE,
TYPIS IOAN. FRIDERICI ET FRID. AVG. GRVNERTORVM.
RECVSA ANNO MDCCCXXVII.

